
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07594693 3

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

ASSECURATIONE SALVAE NAVIGATIONIS.



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

ASSECURATIONE SALVAE NAVIGATIONIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS RUDOLPHI THORBECKE

JUR. R. ET H. D. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

JOHANNES SIEWERTSZ VAN REESEMA,


ROTERODAMENSIS.

AD DIEM X APRILIS MDCCCXL, HORA I—II.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

MDCCCXL.



EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

ABRAHAMO SIEWERTSZ VAN REESEMA,

JUR. UTR. DOCT.,

CIVITATIS ROTERODAMENSIS SENATORI, CAUSARUM PATRONO, CET.

PATRI OPTIMO

SACRUM.



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

ASSECURATIONE SALVAE NAVIGATIONIS.

INTRODUCTIO.

Quod de legibus nauticis, quae populorum jus maritimum constituunt, generatim et verissime dixit Clarissimus VAN HALL (1), »earum hanc fere esse rationem, » ut contineant, quas necessitas postulavit, aut utilitas »introduxit consuetudines, magis magisque perfectas, »et, prouti temporis opportunitas postulare visa fuit, »paullisper aliquando immutatas," id prae caeteris confirmatur illis, quae contractum *assecurationis* regunt. Hic enim omnium certissime totus originem debet increscenti navigationi populorum recentioris aevi. Quamvis enim Atheniensibus non ignota fuerit pecunia trajectitia, quae, damno non dato, erat restituenda, non tamen celebrabant assecurationem, qua

(1) In prolegomenis praestantissimae dissertationis *de Magistro navis*, part. prior. p. 1.

damnum datum resarcitur (1). Neque aliter apud Romanos res sese habebat, et communi jam consensu admissum est illud BYNKERSHOEKII nostri effatum, »adeo »illum contractum olim fuisse incognitum, ut nec no»men ejus, nec rem ipsam in Jure Romano depre»hendas" (2). Nec mirum, cum iis causa deërat, quae postea illum introduxit, frequentia scilicet periculorum, quibus angusta et littus sequens navigatio veterum longe minus, quam audax recentiorum industria, exposita erat. Illud itaque certissimum est, ex usu et consuetudinibus posteriorum temporum paulatim emersisse speciem illius conventionis, qua, ut GROTIUS brevi sermone illam definiebat, »suscipimus incertum peri«culum alteri exspectandum sub certa mercede" (3). Et quum hujus loci non sit inquirere, utrum inter Belgas, an inter Italos primum orta sit (4), illud ex Ordinationum et Legum de ea latarum historia abunde patet, eas, quamvis sensim sensimque auctas et extensas, numquam ita omnibus navigationis et merca-

---

(1) Vid. PARK, *system of the Law of marine insurances*, (1817 *Seventh edition*) *tom. 1. Introduction p. 8, 9.* VAN HALL *d. l. p. 9.*

(2) *Quaest. Jur. Publ. Lib. 1. cap. 21.*, v. et GROTIUS, *de J. B. et P. L. 2. c. 12. § 3. N. 5.*, PARK *Introd. p. 15–19.* VAN HALL *p. 24.* Loci LIVII et SUETONII, qui ab EMERIGONIO (*Traité des assurances, préface p. 4*) tamquam vestigia assecurationis continentes citati erant, a PARKIO et HALLIO ad verum eorum sensum reducti sunt.

(3) GROTIUS *Inl. tot de Holl. Regtsgel. 3. B. 24 D.*

(4) De quo vid. V. HALL *d. l. p. 43.* PÖHLS *Assecuranzrecht tom. 1. p. 9* et BYNKERSHOEK *Quaest. jur. priv. L. 4. c. 1. p. 518.*

turae votis suffecisse, quin his relictum fuerit illis opem ferre a consuetudinibus inter assecuratores et assecuratos receptis desumtam. Imo, ubi scriptae leges mercatoribus videbantur adversari commodis ex earum neglectu oriundis, et in utilitatem mercaturae vertendis, tam parum se ab eo neglectu abstinuerunt, ut facultas legum praescriptis renunciandi ipsa quoque in consuetudinem abierit. Certe plerisque Jurisconsultis dubium non fuit, quin haec facultas debuisset circumscripta manere finibus ab ipsa Lege positis, ita ut non fuerit admissa contra Leges *perfectas* sive imperativas vel prohibitivas (1); sed negari tamen non potest, exempla etiam occurrere renunciationum posterioris generis, in hac ipsa materia sententiis Judicum comprobatarum (2). Quum igitur tanta tamque multiplex fuerit vis consuetudinum ad conventionem assecurationis ordinandam, vel ad legum mutationem praeparandam, non immerito Consultissimus PÖHLS, Hamburgensis, mercatoriae jurisprudentiae peritissimus, commendavit studium *Polizzarum*, in diversis regionibus adhibitarum, ut fontis Juris assecuratorii non satis huc usque explorati; quoniam illae Polizzae continent non tantum pactiones plurimum usitatas, sed in primis indicant jus consuetudinarium, uti hoc sese (uti in Formulis Gallicis) *contra Legem ipsam* formavit (3).

(1) VOET *ad Pand. Lib. 1. tit. 4. Pars de Statutis No. 18.* BYNKERSHOEK *Quaest. jur. priv. L. 4. c. 2. p. 538. c. 6. p. 570.* LOCRÉ *ad Art. 382 Cod. Gallici merc. No. 17.* BENECKE *tom. 3. p. 5.*

(2) Vid. BYNKERSHOEK *d. l. c. 5. p. 558 seqq.*

(3) PÖHLS *Assecuranzrecht, Vorrede p. 8.* » Eine äusserst

Non diffiteor, hanc ipsam commendationem me induxisse, ut, quatenus virium tenuitas ferret, dissererem de specie quadam assecurationis, quae ex longo inde tempore in patria nostra celebrabatur; cujus tamen hucusque neque a Legibus, neque ab auctoribus nostris mentio facta est, et de qua dubitari possit, an dici debeat legibus contraria.

Agam igitur de Assecuratione *salvae navigationis* (*op het behouden varen*). Quum enim frequenter ejus mentionem factam audiverim in Urbe mercatoria, ex qua ortus, et praesertim in domo paterna, occasione casus cujusdam celeberrimi de hac assecuratione agitati; non docendi, sed discendi causa ad hoc argumentum accessi, ut tum illud ipsum cognoscerem, tum ex ejus ab aliarum assecurationum genere diversitate universam hujus contractus materiam magis mihi familiarem redderem. Si quis igitur hoc qualecumque juvenilis diligentiae specimen inspicere non dedignetur, eum non magis, quam aetas sinat, a me flagitaturum confiteor.

Caeterum hunc mihi ordinem praescripsi, ut
Capite *I.* agam de forma hujus assecurationis.
Capite *II.* de ejus indole et determinationibus, atque
Capite *III.* inquiram, in quantum jure valere dici queat.

»wichtige, bisher viel zu wenig berücksichtigte Quelle für »das Assecuranzrecht, sind die in den einzelnen Ländern »üblichen Formulare von Policen, indem sie nicht nur »die üblichsten Contractsbedingungen enthalten, sondern »auch das Gewohnheitsrecht, namentlich wo dieses sich »(wie in den Französischen Formularen) *dem Gesetze ent-* »*gegen* gebildet hatt, nachweisen.”

CAPUT I.

DE FORMA HUJUS ASSECURATIONIS.

Quum nomen ipsum, quo *salvae navigationis* assecuratio indicatur, ostendat eam ut speciem referri debere inter assecurationes maritimas, luberet de harum genere quaedam praemittere, si illud non satis cognitum praesumere liceret. De eo enim genere omnes et leges et auctores egerunt, quum a maritimâ omnis assecurationis materia originem duxerit, et ad ejus exemplum hic contractus ad suscipienda pericula ignis, mortis, servitutis, morborum animalium, grandinis, porrectus sit. Sufficit igitur notasse, illam assecurationem generatim amplecti omne pactum, quo quis, pro certo premio, suscipiat pericula in mari obvia, quibus alterius commodum erit expositum. Hac *commodi* voce illud, *quod assecurati interest*, significare volumus. Assecurationis autem effectus in universum hic est, ut si, casu praeviso existente, assecuratus totius commodi jacturam patiatur, ei in solidum fiat resarcitio; sin autem tantum ex parte laesum sit, sive propria clade, sive obligatâ in aliorùm avarias contri-

butione, assecurator eum in tantum indemnem servet. Scopo contractus contrarium foret, ut assecuratus quid quam lucraretur. Quod servatum est competit assecuratori, ubi is totius commodi facit resarcitionem. Ubi autem assecuratus damni resarcitionem petit, regulariter tenetur probare, in quantum tempore casûs commodum assecuratum revera exstiterit, atque in quantum illud damnum sit passum ex causa, quae sub assecuratione erat comprehensa.

Quod autem attinet ad formam quâ assecurationes celebrari consueverunt, praemittendum unice puto, id universe fieri Polizzis *typis descriptis*, quae semper in promtu sunt, atque illas continent mentiones, declarationes et pactiones, quae necessariae, aut unanimi consensu receptae sunt ut valiturae, quatenus speciali pacto non aliter fuerit stipulatum. Polizzarum autem duae praecipuae sunt species, altera ad navium, altera ad mercium assecurationem accommodatae: quae tamen ultra eas, quae re ipsa constant, distinctiones, non solent differre nisi eo, quod in prima specie non fiat mentio doli et culpae magistri navis, quorum etiam periculum assecurator in secunda specie suscipit. Indicant autem formulae amplissimo sermone omnia, contra quorum vim assecuratio fit, pericula, quae tum totius commodi jacturam, tum ejus laesionem afferre possent. Praeter vacua autem loca, quae secundum cujusque assecurationis contrahendae requisita, determinatione navis, mercium, summae, caet. calamo explenda sunt, formulae illae solent exhibere duo vacua magis ampla. Alterum invenitur post de-

signationem itineris, alterum post verba, quae indicationi loci, quo navis ultimo erat tempore, serviunt. Ambo destinata sunt tum illis enuntiationibus specialibus, quarum assecuratorum interesse videntur, tum singularibus pactionibus, quae obligationum nomenclationi in formulis tum sequenti quaedam adjiciunt aut detrahunt, calamo inserenda. Ubi autem obligationibus typis descriptis aliquid detrahatur, vel quocumque modo hae obligationes mutationem subeant, nihil prorsus in iis quae typis descripta sunt solet deleri, sed omnia remanent immutata, quamvis iis, quae calamo inserta sunt, prorsus contraria. Est autem usu universe recepta regula, illa, quae calamo inserta sunt, derogare iis, quae typis descripta, atque posteriora mutata censeri prioribus, ut pote specialem et certam contrahentium voluntatem indicantibus. De hac regula, etiam in aliis regionibus recepta, consuli possunt PARDESSUS *Cours de droit comm.* N°. 1792 *in f.* BENECKE *tom.* 3. *p.* 10; PÖHLS *p.* 530, 531.

Quae praecedunt memoranda erant, ut forma, quâ *assecuratio salvae navigationis* celebrari solet, rite intelligatur. Hujus enim clausula, uno tenore, calamo inscribitur secundo illo, de quo diximus, formulae vacuo. Si commodum, in cujus gratiam assecuratio fiat, quemdam cum ipsa navi nexum habeat, clausula inseritur Polizzae navium, ut vocatur, (*Casco-Polis*), sin autem illud ad merces pertineat, mercium Polizza (*Goederen-Polis*) adhibetur. Utroque casu tamen eadem clausula, ad salvam *navis* vectionem se referens, usu venit.

A longo inde tempore haec clausula tam Amstelodami quam Roterodami, iisdem fere verbis enunciabatur; ita ut post assecurati, et itineris, et navis, et magistri, et summae mentionem, sequentia intercalarentur:

»Fit haec assecuratio contra omnia pericula, in »salvam navigationem —— supra dictae navis, estque »exorta ex —— (1), ab utraque parte sine restorno, »et solvemus damnum in omnibus casibus, perinde »quomodo et a quo sit illatum, sive captu, confisca»tione, defectione, naufragio, incendio, improbatio»ne, interitu, aut omnibus aliis calamitatibus, quae »salvum adventum supradictae navis ad praedictum »destinatum locum possent impedire, idque sine ulla »reservatione aut exceptione; et ex proposito renun»ciamus omni ei, quod in casu damni supersit, aut »servetur, quo numquam fruemur, sed quod, uti »diserte declaramus, unice beneficio erit assecurati, »et convenimus ab utraque parte, diserte, et ut viri »honore praediti, de eo, quod haec assecuratio erit »et manebit valida, tametsi ad id Legum Codice li»bertas non datur, quam ob causam, sub expressa cu»jusque renuntiatione Juri appellationis, omnes lites »omniaque discrimina terminari debent arbitratu bo»norum virorum, illo modo nominandorum, qui in »typis hujus Polizzae memoratur."

(1) Hoc loco commodum, in cujus gratiam assecuratio initur, describitur, vel absque ejus mentione dicitur »ex qualicum»que causa commodum assecurati oriundum sit,...... (*waarin ook het Interest van den Geassureerden moge bestaan.*

Nemo mirabitur me magis barbare, quam Latine, hanc clausulae offerre versionem, qui ponderet singularem ipsius clausulae in lingua vernacula structuram, quam ad calcem repetere duco necessarium. Certe id ob oculos haberi debet, Polizzam in unilaterali forma esse conceptam. Sunt hîc Assecuratores qui loquuntur, et tamen etiam de obligationibus aut juribus assecurati per modum conditionis agunt (1).

Illa ipsa vero clausula etiam nunc Roterodami in usu est. Amstelodami autem, post introductum no-

---

(1) Clausula ipsa, quae hic sequitur a me descripta est ex Polizza, tam Amstelodami, quam Roterodami, 3° et 4° Decembris 1834 subscripta, respectu assecurationis octoginta quatuor millium florenorum in salvam navigationem pyroscaphae, *Pylades* dictae:

»Geschiedende deze verzekering voor alle gevaren op het »behouden varen van 't bovengemelde Stoomschip, voort-»spruitende uit de op Batavia terug te ontvangen premie, »van weerskanten zonder restorno, en betalen wij de schade »in alle gevallen, evenveel hoe en waardoor veroorzaakt, »het zij door het nemen, confiskeren, vermissen, stranden, »verbranden, afkeuren, verongelukken, of alle andere »rampen, die het behouden aankomen van 't bovengemelde »schip ter gedestineerde plaatse voornoemd zouden kunnen »of mogen beletten, en dat zonder eenige reserve of uit-»vlugten; renuncieerende wel voorbedachtelijk van al het-»geen in cas van schade mogt te regt komen of geborgen »worden, waarvan wij nimmer zullen profiteeren, maar »dat uitdrukkelijk komen ten voordeele van den Geassu-»reerden alleen, en conditioneren wij ter wederzijdsch wel »expresselijk en als lieden van eer, dat deze verzekering »van kracht zal blijven, niettegenstaande bij het wetboek »daartoe geene vrijheid wordt gegeven, zullende uit dien »hoofde, met nadrukkelijken afstand van ieders regt tot »hooger beroep, alle questien en verschillen getermineerd »worden door goede mannen, te benoemen op de wijze, »als in den druk dezer Polis is vermeld."

vum Codicem mercatorium, non tamen, ut videtur propter illum, sed potius ut quaedam clausulae partes, ejusque effectus clarius contrahentium mentem exprimerent, alia hujus clausulae formula introducta est. Operae pretium est hanc etiam hic excerpere. Sequentia ejus sunt verba:

»Fit haec assecuratio in salvum adventum supradictae »Navis ad locum destinatum, et quidem eo sensu, ut »si illud non accidat, sive naufragio, sive aliter (salvis »Artt. 249, 640 et 641. Codicis mercatorii) perdi- »tum eundo aut pereundo, summas a nobis signatas »statim, et absque ulla exceptione, solvemus, simulac »sinistrum hic cognitum, nobisque denunciatum erit. »Deinde expresse stipulatum est, ut in casu non- »adventûs supradicti nullatenus fruemur tali parte, »quae servando maneat incolumis, (nisi commodi na- »tura ex aequitate temperamenta exigeret); adversus »quod immunes erimus ab avariis communibus, et par- »ticularibus, atque ab omnibus impensis cum eventu »aut absque eo factis, dum ad probationem commodi, »valoris aut proprietatis sufficiet haec Polizza, et quid- »quid insuper bona fide produci poterit. Renuncia- »mus diserte ut viri honore praediti talibus articulis »Codicis mercatorii, et aliis, qui huic Assecurationi »adversarentur, vel eam prohiberent, promittentes num- «quam nos ab iis opem esse petituros, quam ob cau- »sam etiam, sub expressa cujusque renunciatione juri »appellationis, omnes lites, omniaque discrimina quae »respectu hujus assecurationis obvenire possent, ultima »ratione terminabuntur a tribus arbitris eo modo no-

» minandis, qui in hujus Polizzae formula typis descripta » memoratur, atque illud intra quatuordecim dies post » interpellationem nobis ad hoc factam, quibus arbitris » nunc in illud tempus facultas tribuitur judicandi atque » sententiam ferendi secundum aequitatem, uti bonos » viros oporteat (1)."

---

(1) » Geschiedende deze assurantie op het behouden arrivement » van bovengemeld schip ter gedestineerde plaatse, en wel » met dien verstande, dat wij in geval zulks niet gebeurde, » hetzij door schipbreuk of andersints (behoudens Art. 249, » 640 en 641 van het wetboek van koophandel) verloren » gaan of verongelukken, onze geteekende sommen promt » en zonder eenige exceptie zullen voldoen, zoodra het on- » geluk alhier bekend en ons aangekondigd zal zijn. Voorts » wordt wel uitdrukkelijk bedongen, dat wij in het geval » van non arrivement voornoemd, nimmer eenig genot zul- » len hebben van zoodanig gedeelte, als door berging zoude » mogen worden behouden, (ten ware de aard van het Intrest » hierin naar billijkheid wijzigingen vorderde), waartegen » wij vrij zijn van Avarij Grosse en bijzondere Avarij en van » alle andere onkosten met of zonder succes geimpendeerd, » zullende tot bewijs van intrest, waarde of eigendom ver- » strekken deze Polis en hetgeen men verder ter goeder » trouwe zal kunnen produceren. Renuncieerende wel ex- » presselijk als lieden van eer van zoodanige artikelen van » het wetboek van koophandel en andere, die deze verze- » kering zouden kunnen contrarieeren of verbieden, belo- » vende ons daarmede nooit te zullen behelpen, waarom » ook met uitdrukkelijken afstand van ieders regt op hooger » beroep, alle questien en verschillen, die wegens dezelve » verzekering zouden kunnen ontstaan, definitivelijk zullen » worden getermineerd door drie Scheidsmannen, te be- » noemen op de wijze, als in het gedrukte formulier dezer » Polis vermeld, en zulks binnen veertien dagen, nadat » wij daartoe zijn geinterpelleerd, aan welke scheidsmannen » nu voor alsdan de bevoegdheid toegekend wordt, om als » goede mannen naar billijkheid te oordeelen en uitspraak » te doen."

Non est, ut hoc loco indicem quibus in partibus haec clausulae formula cum antiquiori conveniat, quamvis partim aliis induta verbis. Id enim melius apparebit, ubi alteram illam, quae aetatis principatum exposcit, illustrare conabor, atque ubi effectus nostrae assecurationis explorandi erunt. Magis opportune tunc novae illius formulae comparatio institui poterit. Nunc igitur satis de forma.

CAPUT II.

DE INDOLE ATQUE DETERMINATIONIBUS HUJUS ASSECURATIONIS.



Incertum est, quando assecuratio *salvae navigationis* in patria nostra coepit usitari, neque magis notum, quinam scopus ei primum originem dederit. Sunt inter harum rerum peritos, qui putent eam primum introductam esse in assecurationibus mercium, quae in loco destinationis erant prohibitae (*contrabande*), eamque dein extensam ad assecurandum tale commodum, quod difficulter exprimi poterat, attamen vere existebat. Quidquid sit de tali origine a parte assecurati, magna, quam haec assecuratio recepit, extensio certe non minus tribuenda est assecuratorum consiliis, ubi qualemcumque ob causam pericula avariarum non suscipienda, nec tamen damni totalis, quod dicitur, discrimen prorsus sibi effugiendum crederent. Neque nostri, neque exteri scriptores de hac assecuratione egerunt. Unus est BENECKIUS, qui duos adfert casus, qui ejus speciem exhibent. In altero assecuratores

Gallici eam desideraverunt, declarantes se non aliter, quam in salvum adventum navis, ideoque exclusis avariis, et demto jure in id quod servaretur, signaturos (1). In altero autem assecuratus Anno 1780 eam desideravit in Anglia, in gratiam commodi, quod ad merces, quibus navis onerata erat, pertinebat (2). Prior tamen non abiit in Contractum; posterior ob singulares rationes a judice rescissa est, utpote speciem prohibitae sponsionis exhibens. Opportune forsitan haec assecuratio comparari posset cum illa Anglorum, quae sub nomine *interest, or no interest* cognita est, illis in casibus, ubi revera commodum quoddam causam dedit contractui, de qua in sequenti capite aliquid memorandum erit, sed cujus casum non existentis commodi (*no interest*) nostra assecuratio penitus respuit. Haec igitur suis ipsa constat terminis, neque aliter cognosci potest, quam ex ipsa ejus formula usu recepta. Eam itaque sequar, ut indolem et determinationes hujus assecurationis exponam.

Illa autem formula mihi sequentia speciatim observanda proponere videtur,

1°. Assecurationem fieri *in salvam navigationem*,

2°. ad tuendum quoddam commodum,

3°. ab utraque parte absque *restorno*,

4°. limitando resarcitionem ad casum vi majore impediti adventûs,

5°. renunciando ei, quod servetur,

---

(1) Benecke, 1 *Th. p. 304 seqq.*

(2) Idem 1 *Th. p. 220 seqq.*

6°. in fidem honoris, quatenus lege ad illam non detur libertas, et

7°. referendo ad arbitrium bonorum virorum, ut summum judicium.

De singulis videamus.

§ 1.

»In salvam navigationem.”

Hoc non ordine tantum, sed momento quoque primum se offert, hanc assecurationem fieri *in salvam navigationem* (*op het behouden varen*), imo propter ejus momentum ipsum primum in clausula locum tenere videtur. Distinguitur enim eo ipso ejus objectum ab illo, quod in formula Polizzae typis descripta praecedit, ubi legitur *in navem* (*op het casco*) vel *in merces* (*op koopmanschappen etc.*), atque haec verba eo ipso, secundum regulam in primo capite expositam (1), pro deletis sunt habenda.

Objectum scilicet hujus assecurationis non est ipsa navis. Illud sponte intelligitur, si attendamus, objectum alicujus assecurationis dici rem ipsam, quae sit exposita periculis, quae assecurator suscipit. Nunc autem, uti § 4 latius exponendum, assecuratores hoc contractu non cavent de damnis, quae navi obvenire

(1) Illius regulae etiam mentionem fecerunt ejusque usum comprobaverunt Arbitri in sententia 8 Julii 1837, de qua infra dicetur, quamque additionum numero II huic dissertationi adjicere licuit.

possint. Verum quidem est, si interitus navis in cursu designati itineris obtineat, casum obligationis assecuratorum existere; sed neque tunc valor navis refunditur, neque ad ipsum illum interitum respicitur, nisi ut impedimentum navigationis ad finem usque salvae perducendae. Totus navis valor alia assecuratione comprehendi potest absque eo, quod altera alteri sit nocitura, quamvis duae assecurationes pro eodem commodo non possint subsistere. Non enim hic idem est. Quinimo si commodum assecurati revera in ipsa navi resideret, quod saepius accidit, si assecuratores, non satis navis virtuti fidentes, et avariarum sequelas timentes, sed probabilitatem adventûs, post multos forsitan casus, obtinendi non prorsus rejicientes, hanc solummodo assecurationem *salvae navigationis* inire volunt, et tunc etiam non ipsa navis assecurata dici potest. Ob eam causam speciale nomen ei datum est, ipsum ejus objectum indicans. Illud igitur objectum, et hoc certe valde singulare, non est res quaedam, sed revera est factum aliquod, scilicet ipsa navigatio ad indicatum finem perducta.

Supra vidimus, novam, quae Amstelodami in usum venit, formulam hanc assecurationem factam dicere *in salvum adventum*. Et certe navigatio ipsa, in sensu nostrae assecurationis, salva dici nequit, nisi adventus in locum destinatum adsit. Adventus igitur videri possit objectum assecurationis, nisi dici posset, ubi adventus locum habeat, ibi finire assecurationem, contra autem navigationem durare usque ad adventum, eoque ipso salvam evadere. In loco tamen BENECKII supra

citato (1) etiam *in salvum adventum* (*auf glückliche Ankunft*) vocabatur assecuratio. Quaecunque autem denominatio adhibeatur, semper factum quoddam indicatur, atque eadem est mens assecurationis, ipsum iter salve perductum iri ad locum destinatum.

§ 2.

»*Ad tuendum quoddam commodum.*"

Absque eo, quod assecurati intersit, atque illud periculis expositum quae ab assecuratione suscipiuntur, veri nominis assecuratio subsistere non potest. Illud requisitum est, ut dicitur, de essentia contractus.

Quum igitur assecuratio salvae navigationis hoc commune habeat cum omnibus aliis, observatu tamen dignum est, illud quod interest, sive commodum assecurati, hîc manifeste distingui ab ipso objecto assecurationis. Nam quamvis haec distinctio accurate observata sit ab optimis scriptoribus, qui ideo sejunctis locis tum de objecto, tum de commodo agunt, uti MARSHALL *ch.* 3. *et* 4., PHILIPS *ch.* 3. *et* 5., BENECKE 1 *Th.* 1[er] *Abschnitt und* 3[er] *Abschnitt*, et PÖHLS § 575. *seqq.*, *et* § 552. *seqq.*, ea tamen ab aliis, atque a Legislatoribus non ita stricte observata videtur.

Objectum et commodum saepius confunduntur, ita ut pro iisdem habeantur, atque inter objecta etiam referantur illa commoda, quae non transvehuntur, imo illa quae non nisi post peractum iter oriri possunt.

---

(1) 1 *Th. p.* 304.

Hoc ei tribuendum videtur, quod plerumque commodum ipso objecto contineatur, veluti si navis, aut merces assecurentur. Sed ubi aut de lucro sperando, aut de assecurationis praemio alia assecuratione tuendo, aut de similibus agitur, ducimur ad commodum, cum objecto connexum quidem aut ab eo dependens, sed tamen ab eo distinguendum v. BENECKE I *Th. p.* 24. *et* 134.. Attamen etiam tale commodum assecuratione objecti, ad quod ita referri possit, defendi potest contra pericula maris.

Illud naturae et scopo contractus omnino convenit. Et hoc est, quod potissimum in hac assecuratione *salvae navigationis* spectandum venit. Qualecunque enim sit commodum, quod qualicunque modo a designati itineris absolutione dependeat, illud hac assecuratione tegi potest. Inutile igitur fuerit multa ejus exempla enumerare, atque hic sufficiat notasse casum, quem jam supra in Belgica formula retulimus, ubi commodum erat praemium, quod promissum erat, si pyroscapha, post ejus adventum in India, et praeterlapsis dein quibusdam mensibus, se peritis bene constructam probaret. Praemium igitur neque valori navis, qui etiam totus alia assecuratione tectus erat, inerat, neque ipsi omnino navigationi trans mare suberat, quum etiam posterior usus foret exspectandus, attamen absque salva navigatione in Indiam nullatenus obtineri poterat, atque ita ab ea pendebat. Eodem modo quoque omnia alia commoda, sive magis, sive minus directe a peracto itinere pendentia, quotidie nostra assecuratione gaudent.

§ 3.

»*Ab utraque parte sine Restorno.*"

In materia assecurationis cognitum est illud *restorno*, seu *ristorno*, quo significatur restitutio praemii aut partis ejus, assecurato ab assecuratore facienda, ubi periculum non est initum, vel minus periculum quam tempore contractus spectabatur. De eo accuratissime agit PÖHLS §. 638. *seqq.*, qui etiam omnes alios de hac re scriptores allegat *p.* 447. *Notâ* 1.

Hac clausula igitur assecuratus illi restitutionis juri renunciat, ita ut praemium assecuratori acquisitum maneat, quamvis revera nullum postea periculum incurrat, non inito puta itinere. Ad talem renunciationem alludit EMÉRIGON *ch.* 16. *p.* 152. ubi dicit: »Mr. VALIN dit qu'en certains pays l'assurance vaut »*active* et *passive*, sans égard à la valeur des choses »assurées, et sans examiner si les marchandises ont »été chargées ou non. Mais, ajoute-t-il, tout se reduit »alors à une espèce de gageure, que le Navire arrivera »à bon port, et, comme l'observe ROCCUS resp. 31. »n. 2, dum assecuratores receperunt pretium pro quan»titate assecurata, etiam non conductis integris mer»cibus, valet Assecuratio per viam sponsionis."

Quod autem ad alterum *restorno*, cui a parte assecuratoris renunciatio fieri possit, eo significatur ipsum Jus assecuratoris reducendi assecurationem ad verum commodi valorem, si ultra eum assecuratio contracta sit. Eo sensu dicit PARDESSUS *N.* 875.. »En général

»le droit de démander le ristourne appartient à l'assu-
»reur et à l'assuré: — le droit de l'invoquer est réci-
»proque." Si autem assecurator ei renunciet juri, manifeste inde sequitur, eum etiam renunciare Juri, quod alioquin existente damno haberet, exigendi ulteriorem probationem valoris periculis expositi. Illa enim ad nullum ducere posset effectum, quum assecurationis reducendae juri valedictum sit. Hinc assecuratus hac renunciatione a parte assecuratoris facta, adeoque hac ipsa clausula: »*ab utraque parte sine res-*
»*torno*," omni ulteriori probatione commodi liberatur, summaque assecurata reductionem non patitur.

Hic autem notandum est, novam formulam Amstelodamensem hanc clausulam »*ab utraque parte sine restorno*" non continere, neque aliis quibusdam verbis primam illam renunciationem a parte assecurati reddere. Hujus jus ad repetendum praemium, quatenus spectatum periculum non sit initum, ita salvum manere videtur, et notabilis ita inter novam atque antiquiorem formulam differentia occurrit.

Quod vero ad jus assecuratoris, de quo dicebam, explicite nunc illud ita determinatnr, ut in probationem commodi, seu valoris, aut proprietatis, ipsi sufficere debeat ipsa Polizza, et id, quod ultra bona fide produci potest. Quum ita etiam ulteriori probationi, nisi quae bonae fidei assecurati relicta sit, renuncietur, atque deinde etiam quod servatum sit regulariter assecurato ipsi relinquatur, nova formula non ita multum, quoad hanc alteram partem, ab antiquioris sensu differre videtur. De eo autem Capite Tertio ulterius dicendum erit.

§ 4.

„Limitatur resarcitio ad casus impediti adventus.“

Illud etiam inter hujus assecurationis singularia in primis attendendum est. Nullum assecurator hic suscipit periculum, nullum ad eum pertinet damnum, si navis non vi majore impediatur destinatum intrare portum. Casus, quibus hoc impediri possit, tamquam in catalogi specie in clausula occurrunt, neque certe quisquam, vi majori tribuendus, omissus est, nec etiam ille, qui locum habere creditur, ubi nullus de nave diu absente nuncius sit receptus, isque *deficere* dicendus sit. Tunc de casu non constat, sed ille praesumptione juris admittitur (1). Sic etiam, quamvis de interitu constet, sed hujus ipsius tamen causa non sit cognita, casus assecurationis adest, quoniam non tantum quod a naufragio, a captu, a confiscatione, repetendum est adventus impedimentum, sed etiam illud, quod interitu ipso, ut causâ sufficiente, absque ulterioris adhuc interitus causae perquisitione, constat, navigationem non sinit salvam ad finem perduci.

Ipsa autem hujus clausulae parte omnes Avariae, sive propriae, sive communes, quae adventum non prorsus impediunt, ab assecuratore manent alienae. Nullae impensae, nullae refectiones ad eum pertinent.

---

(1) Cf. BENECKE *Lib. 3. p. 534. seqq.*, PARK *chap. 3. p. m. 305-307.* (London 1817.), *Art. 375. C. de Comm.*, *Art. 667. novi Codicis.*

Si autem casus impediti adventus existat, eoque salva non perficiatur navigatio, totius indicati commodi resarcitio ei incumbit.

Ipsa igitur hac clausulae parte penitus diluitur illa, quae in formula Polizzae typis descripta occurrit longa enumeratio periculorum, quae in ordinaria assecuratione suscipiuntur, atque solummodo ut causae damnorum, sive pro parte, sive in totum commodo imminentium, proponuntur.

Alia plane hic est assecurationis facies, atque alius ejus casus. In ordinaria assecuratione damnum ipsum spectatur, quod ejus objecto obvenit, ejusque damni causa. In nostra autem, quae salvam navigationem protegit, non de hujus damnis, sed de causis navigationem salvam fore impedientibus agitur. Impedimento fortuito existente, eo ipso commodum salvae navigationi connexum in totum deperditum creditur, quamvis de ipsa vi huic commodo illatâ non ita constet, uti in ordinaria solet assecuratione.

Quoad hanc autem partem clausulae nova formula Amstelodamensis in eo differt, quod praetermittat aliorum impedimentorum nomenclaturam, unice nominans ea, quae a *naufragio*, *aut àliter accidente defectione vel interitu sint repetenda.* Hisce certe caetera continentur.

At formula nova etiam exceptionem indicavit, quae si existat non permittet, ut assecurator subeàt casum impeditae navigationis. Invocat enim *Artt.* 249, 640. *et* 641. *novi Codicis mercatorii,* qui agunt de damno ex proprio rei vitio, vel ex ejus natura orto, sive in

assecurationibus navis, et nauli, et mercium exercitoris, nequitiâ magistri dato. Quum enim etiam illius damni periculum suscipere assecurator possit, quod ipsis Legis verbis admittitur, atque principiis universe admissis convenit (1), atque antiqua formula dicat, *perinde* fore a quanam causa damnum veniat, et *omnes calamitates*, quibus impeditur adventus, amplectatur, illa eo magis videri potest supradicta damna suscipere, quoniam non navis ipsa hic objectum est assecurationis. Ab hac autem interpretatione nova formula sibi cavere voluit.

§ 5.

»Renuntiatur ei, quod servatur."

Haec clausulae pars, quamvis pactum prorsus singulare exhibeat, explicatione vix indigere videtur. Perspicue enim significat id, quod vi majori, quae salvum adventum impedit, surripiatur, numquam cedere assecuratori ad diminuendam resarcitionem summae assecuratione promissae, sed id relinqui ipsi assecurato. Hoc pactum a naturalibus et receptis regulis differre, non est quod multis probemus. Quod enim servatur non amittitur, neque resarcitionem requirit, ideoque a totali summa detrahi solet, cf. PÖHLS § 698, *p.* 731, 732.,

---

(1) Cf. de vitio proprio EMÉRIGON *ch. 12. sect. 9. § 1.* LOCRÉ *Espr. du Code de Comm. ad Art. 126. tom. 3. p. 376.* PARDESSUS *N°. 774. in sexta editione Parisiensi.* et PÖHLS *N°. 616. p. 319.*, atque de nequitia magistri PÖHLS *§ 614. p. 312.*, PARDESSUS *No. 772.*, *Art. 335. C. de Comm.*

De eo sequenti capite ulterius videndum erit. Id tamen et hîc non omittendum videtur, quum hujus assecurationis objectum non ipsa res quaedam sit, sed salva navigatio, ita ut non possit esse sermo de parte rei a procellis servata, hoc pactum analogica interpretatione intelligi debere de eo, quod forsitan inquirendo in veram commodi assecurati sortem apparere posset non prorsus esse amissum. Illum ei sensum etiam tribuerunt Arbitri in sententia secunda, de qua infra dicemus. Eo ipso autem clausula omnem ulteriorem inquisitionem in ipsum commodum, atque adeo ejus probationem excludit, atque ita illud confirmat, quod jam ex clausula de *restorno* etiam ab assecuratore non exigendo observatum est.

Restat ut notemus, novam formulam Amstelodamensem huic pacto adjicere exceptionem, »*nisi na*»*tura commodi ex aequitate in eo temperamenta exi*»*gat.*" Haec exceptio tam late patet, et quum *a priori* dici non possit, quid aequum videbitur, talem in se habet incertitudinem, ut non ausim ei determinatum addicere sensum. Videtur autem illustrari posse exemplo sententiae ab Arbitris latae, quam primo loco huic meae scriptioni addam. Eo casu Arbitris visum fuit, commodum in cujus gratiam assecuratio facta erat, residere in ipsa navi, quae improbatione in cursu itineris facta, impediebatur navigationem salvam perducere; et Arbitri, illique Consultissimi atque optimi Viri, deductionem pretii venditae navis in favorem jusserunt Assecuratorum, quamvis pactum de eo, quod servatur, non in favorem

assecuratorum veniente, sed assecurato relinquendo, secundum antiquam formulam erat contractum. Tali forsitan casui providere voluit nova formula dicta exceptione, quum illa pacto non contineri aliis possit videri, et tamen apertum assecurati lucrum assecuratorum damno obtentum nimis iniquum foret. Id satis certum videtur, si consideremus assecuratum non ad probationem commodi post initam assecurationem constringi posse, hanc exceptionem tantum usu venire, ubi assecuratus bona fide et honeste de eo ultro copiam faciat, uti dicto casu etiam locum habuisse videtur.

§ 6.

»Sub fide honoris, quamvis legum codice ad eam non detur libertas."

Haec etiam clausulae pars memoratu est dignissima. Olet ea persuasionem, hanc assecurationem, uti huc usque sit descripta, non plane legum verbis convenire, saltem iis non palam esse permissam. Ubi autem quae lege data sit assecurationis ineundae libertas deficeret, ipsae, quae nunc contrahuntur, obligationes honoris aegidi mandantur, ejusque fide quasi oppignorantur. Honoris significatione hic illa virtus indicatur, quae non tantum fidem fallere non permittit, sed speciem quoque ambiguitatis respuit. Pacta ipsa legem dare contractui, atque esse servanda, sub fide honoris promittitur.

Hanc autem fidem et nova Amstelodamensis formula invocat, sed alia ratione. Tacet de casu non datae a legibus libertatis, utpote hoc auxilium non indigente, aut casibus, quos exprimit, satis certe tecto. At assecurationem honoris praesidio ratam fore jubet, etiam ubi illa Codicis mercatorii articulis, aut aliis contraria, aut iis prohibita foret. Illis articulis contrahentes expresse renunciant. Illius verba itaque multo latius patent, quam verba antiquae formulae. De eo posthac ulterius agendum erit.

§ 7.

»*Ideo refertur ad arbitrium bonorum virorum, ut summum judicium.*"

Ultimum est ut de eo dicamus. Hac nempe clausulae parte renunciatur juri appellationis sive ulterioris judicii, quod aliter secundum Polizzae verba typis descripta utrique parti competit. Unâ, quae dicitur, instantia lis est dirimenda, et hoc quidem arbitrio bonorum virorum. Omnis de ea cognitio ordinariis judicibus aufertur. Atque id dicitur *ideo* fieri, vel *eam ob causam*, quoniam id pactum est, quod praecedenti § memoravimus. Nexus ille praetermitti non potest.

Atque ita hoc clausulae commentariolo, satis ut speramus, de indole atque determinatione hujus, assecurationis diximus.



CAPUT III.

DE EO, IN QUANTUM JURE VALERE HAEC ASSECURATIO DICI QUEAT.

Ut hoc argumentum rite tractetur, primum videndum erit de iis, quae ad substantiam contractus pertinent, atque adeo, si absolute legi contraria forent, illum penitus possent vitiare; postea autem de pactis, quae ut contractui adjecta possint considerari, atque, etiamsi ipsa forent invalida, caeteros contractûs effectus non impedirent. Est enim hoc ex generali contractuum natura notum, contractum quidem, si ipse ex illicita causa sit ortus, esse invalidum, *Artt.* 1371, 1373. *novi Codicis Civilis*, et *Artt.* 1131, 1133. *C. Fr.*, sed tum demum conditionem prohibitam vitiare totum contractum, si ab ea contractus pendeat, vid. *Art.* 1290. *N. C. C.* et *Art.* 1172. *C. Fr.*. Pacta adjecta autem, a quibus non ipse contractus pendet, sed quae ab eo separari possunt, illum salvum relinquunt, quamvis ipsa non valeant, cf. *L.* 1. § 45. *ff. Depositi*, *L.* 12. *ff. de precario*. Idque etiam argumento a contrario sensu ex ipsis citatis Juris Novi

locis sequitur, quum vim legis rescindentis numquam ultra ejus propositum extendere liceat.

Quum igitur primo loco ad substantiam contractus sit respiciendum, quae objecto, commodo, periculo atque damni resarcitione constat, gravis illa mihi occurrit observatio, sitne haec salvae navigationis assecuratio illius contractus nomine digna, an potius sponsio (*weddingschap*) vocanda, et tamquam prohibita omni juris auxilio destituta?

Verum quidem est, sponsiones tum generatim, tum in ipsa materia assecurationum, quae suâ ipsa natura pertinent ad contractus aleatorios, quorum effectus penitus ab incerto pendent casu (1), non esse illicitas, nisi a lege ob politicas rationes sint prohibitae (2). Neque minus certum est, Codices nostros

(1) Cf. *Art. 1811. C. C. N.* et *Art. 1964. C. Fr.*

(2) De eo omnes scriptores conveniunt, atque legi meretur EMÉRIGON *ch. 1. sect. 2. § 1.*, ubi tamen male ex Romanorum stipulatione: »*dare spondes si navis ex Asiâ venerit.*" *L. 68. L. 129. de V. O.* concludit, ab illis sponsionem *per modum assecurationis* admissam fuisse. Videantur porro MARSHALL *tom. 1. p. 119* (London 1808): »They are only »deemed illegal where they are prohibited by statute, etc." PARK *ch. 14. p. 393.* (1817); BENECKE *1 Th. p. 289.*, PÖHLS *1 Th. p. 69.* Inde explicandum, quod permissae erant Neapoli, Florentiae, EMÉRIGON *d. l.*, in Toscana, atque Portugalliae regno, BENECKE *1 Th. p. 295.*, atque in Anglia respectu piratarum, atque exterarum Navium, quamvis caeterum prohibitae. In America Septentrionali permissae sunt Newjorkii, at prohibitae Massachusetii, PÖHLS *1 Th. p. 123.* In Borussia mercatoribus, atque Hamburgi unicuique permissae sunt sponsiones circa adscensum et lapsum pretii mercium, PÖHLS *d. l. p. 116.*, *125.*, quas Gallorum Codex poenalis circa debiti publici pretium poena coërcet, *Art. 421.*

non agere de assecurationibus sponsoriis, uti Anglorum aliorumque populorum legibus factum est (1). Attamen nemo inficias ibit, universam sponsionum reprobationem *Art°*. 1825. *C. C. N.* aeque ac *Art°*. 1965. *C. Fr.* etiam in hac materia valere, quum, quatenus Codex mercatorius non speciatim a Codice Civili deflectat, res mercatoriae etiam posteriori illo regantur, quod ipsum nunc generali determinatione *Artⁱ*. 1'. *C. M.* statutum est. Ipsa autem dubitatio magnas vires acquirere videtur, si consideretur descriptio sponsionis ab iis, qui de hac materia scripserunt facta, atque memorentur clausulae ad eam celebrandam usitatae.

Ubi enim apud PARK *ch.* 14. *p.* 393. de sponsione legimus, »illud esse manifestum, perfectionem itineris aut adventus, probabili tempore et modo, at »non meram existentiam navis aut oneris, tunc esse »objectum assecurationis" (2), idem nobis character obvenit, quo assecurationem salvae navigationis ab omnibus aliis distinctam vidimus. Non res, sed factum salvum fore in stipulatum deducitur.

Quod autem ad clausulas illas singulares, quibus

(1) Ita etiam ordinatio Amstelodamensis habebat Art. 18.: »*Men zal niet mogen laten verzekeren op wedding van reizen, ofte voyagien ende meer dergelijke inventien,*" atque Roterodamensis Anni 1721. Art. 28: »*Men zal niet mogen assureren eenige weddingschappen.*"

(2) »*It is manifest, that the performance of the voyage or adventure, in a reasonable time and manner, and not the bare existence of the ship or cargo, is the object of the insurance.*"

illam constare observavimus, sunt hae ipsae illae, quae in sponsionibus, ubi celebrantur, solent adhiberi.

Sponsiones enim *a.* semper fiunt *sine restorno*, vidd. MARSHALL *t.* 2. *p.* 640., PARK *t.* 2. *p.* 569., PÖHLS *t.* 2. *p.* 484. *init.*

In sponsionibus *b.* semper de toto certatur, non salva navigatione solvendo, BENECKE I *Th. p.* 303. Avariae non resarciuntur, immunitas ab iis exprimitur, MARSHALL *t.* 2. *p.* 121., PARK *t.* 2. *p.* 395.

In illis *c.* nulla commodi probatio potest requiri, BENECKE *d. l.*, PARK *ibid. p.* 396, 397., MARSHALL *d. l.*

Denique *d.* in sponsionibus etiam stipulatur, id quod servetur non assecuratori obventurum, vidd. BENECKE, PARK, MARSHALL *dd. ll.* (1).

Tum objecto igitur, tum etiam determinationibus suis, assecuratio nostra cum sponsione convenit.

Sed tamen nihil certius est, quam illarum essentiam penitus invicem differre eo ipso, quod nostra *salvae navigationis* assecuratio semper fiat in gratiam cujusdam commodi; sponsio autem fiat absque eo, quod commodum quoddam illi causam det, vel adesse debeat. Quamvis enim post contractam patriam illam assecurationem probatio non posset ulterius requiri, assecuratoribus nostris ante fidem datam copia fit

(1) MARSHALLI verba sufficiant: »And when the underwriter »pays a loss, he cannot, as in the case of an insurance »upon interest, claim any benefit from what may have »been saved, and, to praeclude all claim of that sort, »the words *free of average*, and *without benefit of salvage*, »are always introduced into wagerpolicies.''

commodi tanta, quanta iis satisfaciat. Semper autem in subauditi commodi cujusdam gratiam assecuratio contrahitur. Differt itaque non tantum ab illis sponsionibus, quae absolute ineuntur absque ullo commodo tegendo, quibusque de certa summa luditur in casum advenientis vel non advenientis navis, sed etiam ab illis, quae in Anglia atque America cognitae sunt, atque secundum fidem datam ratae esse debent, *sive commodum adsit, sive non, (interest or no interest).* Quamvis enim verissima sit observatio PARKII *ch.* 4. § 2. *p.* 122., atque *t.* 1. § 552. *p.* 69. hanc formulam non absolute sponsionem indicare, atque, si revera commodum ei subsit, assecurationem eâ contractam validam esse, etiam ubi sponsiones prohibitae sunt, tamen nostra assecuratio, quae quoad hoc requisitum nulli incertitudini subjecta est, quum semper de quodam commodo agat, in eo ab illa distat, quod ea possit esse sponsio, nostra non sit.

Est haec igitur *veri nominis assecuratio*, atque ideo justissime ita nominata a doctissimis JCtis in duabus sententiis, quas ad illustrandum tum hanc, tum alias disquisitionis meae partes ad ejus calcem adjiciam. Altera, a NICOLAO SINDERAM atque ANGELO JACOBO CUPERUS anno 1824., altera a JEREMIA CORNELIO FABER VAN RIEMSDYK, JOHANNE OP DEN HOOFF, et MARINO GUILIELMO DE JONGE VAN CAMPENS-NIEUWLAND anno 1837. lata est. Nominum celebritas omnem laudationem recusat.

Quum tamen, ut vidimus, sponsionum in materia assecurationis factarum forma etiam in usum nostrae

assecurationis abiit, BENECKIUS, qui, ut jam observatum fuit, unus ejus casum memoravit, rectissime *tom.* I. *p.* 304. eam nominavit *veram assecurationem in forma sponsionis*, (*eine eigentliche versicherung in der Form einer Wette*). Contra autem sponsio in hac materia dici posset *vera sponsio in speciem assecurationis.*

Quae igitur in clausula, de qua superiori capite egi occurrunt cautelae, vel renunciationes, certe non ex metu sponsionum prohibitionis ortae sunt. Forma autem, qua sponsiones celebrari consueverunt, ex proposito ad veram salvae navigationis assecurationem translata videtur, quoniam hujus scopus est, ut, omnibus aliis disceptationibus rejectis, id unum quaeratur, an casus adsit, quo navigatio ad salvum adventum perduci impediatur, atque ut, si adsit, tota summa solvatur. Et hic scopus ita certe sponsionis clausulis obtineri poterat, ut nihil magis.

Sed alia etiam, quae substantiam contractus respicit, dubitatio urgeri potest, an nempe illi conveniat, non rem, sed factum aliquod admittere ut objectum, cujus pericula casum validae assecurationis aut existere aut deficere faciant?

At quamvis Lex Gallica, ut primo loco de ea, qua tam diu usi sumus, dicam, primo obtuitu solummodo res corporales periculis maris expositas ut assecurationis objecta agnoscere videatur, interior tamen disquisitio contrarium evincit. Ipse enim Codex Gallicus, quamvis assecurationem nauli futuri atque lucri sperati prohibens, quippe timens assecura-

tiones posse degenerare in sponsiones (1), non tamen universe objectum contractûs limitavit ad rem ipsam quamdam immediate periculis expositam, sed admisit etiam commodum, quod, quamvis existens, non nisi indirecte pericula subeat.

Ita, ut exemplum adferam, *Art.* 324. *C. M. G.* permittit assecurationem ipsius praemii, quod ut pretium principalis cujusdam assecurationis erogatum est. Attamen hoc praemium solutum neque ipsum trans mare vehitur, neque directe est ejus periculis expositum. Diserte autem Clarissimus PARDESSUS post expositum ab eo indirectum nexum, qui inter commodum quod pretio soluto inest, atque illud, quod eo ipso tectum erat, praemii assecurationem laudat, dicens N°. 763.: »C'est précisement ce qui justifie »cette opération, laquelle paroit au premier coup »d'oeil opposée à l'essence du contrat de l'assurance, »car la prime étant le prix du péril dont l'assureur »se charge, et n'étant ni embarquée ni exposée au »danger de la navigation, on se demande naturelle»ment comment elle peut elle même être la matière »d'une assurance. Mais cette prime est une mise»dehors faite pour l'expédition, c'est par l'effet des »chances maritimes qu'elle sera perdue pour l'assuré; »son résultat est de donner plus de prix aux choses »assurées; car si Pierre voulait vendre la cargaison »assurée, il en obtiendroit un prix plus élevé, que

(1) PARDESSUS *tom. 3. n. 765.:* »la crainte des abus, celle de »voir convertir cette convention en gageure, etc."

» si elle ne l'étoit pas. Rien dans l'opération, que » nous venons d'exposer, n'est donc contraire aux prin- » cipes." Praemium tamen non pretio mercium inest, sed indirecte tantum per nexum contractûs principalis assecurationis ei accedit. Sed exemplo hoc non prorsus opus erat, quum ipsa regula *Art*. 334. *C. M. G.* ut assecurationis objecta admittat non tantum omnes res, sed praeterea omne id, quod pecuniae pretio aestimari possit. Eo autem etiam facta, sive aliquid factum, aut non factum iri, comprehendi debere, si ab eo commodum pendeat, manifestum est. Ita Clariss. PARDESSUS N°. 584. etiam Jus aliquod salvum fore, atque N°. 593. aliquem solvendo fore, ut assecurationis objectum admittit.

Non magis igitur ut assecurationis objectum rejicienda est salva navigatio, seu illam non vi majori impeditam iri, quum hoc in tantum pecuniae pretio aestimari possit, quantum commodi ab ea rependeat.

Postquam autem novus Codex Mercatorius assecurationes extenderit etiam ad commoda futura, (*Art.* 593.) atque universe statuerit: » ut assecurationis ob- » jectum admitti debere omne commodum, quod pos- » sit pecunia aestimari, periculo expositum sit, atque » a lege non excipiatur," dubium nullum remanet circa commodum, quod a facto vel non facto quodam pendet. Hoc enim Legis praeceptum, objectum atque commodum confundens, ne alia exceptio, quam quae illo ipso indicatur, invocari possit, tam late patet, ut certissime omne commodum, quod

navigationis destinationi junctum est, comprehendat (1).

Si autem contra id, quod demonstrare conatus sum, allegetur, hujus assecurationis fieri posse abusum ad assecuranda illa objecta, quae Lege prohibentur, et qualia etiam nunc in *Art.* 599. *C. M.* occurrunt, praesertim si natura commodi non in clausula exprimatur, sine dubio unice erit respondendum, omnem, si vere adsit, abusum, quo fraus Legi fiat, esse coërcendum, sed non posse tollere usum, qui salva Lege fieri possit. Abusus enim pertinet ad quaestionem facti obvenientis, nos autem hic de Jure solliciti sumus. Et si negari non possit nostram assecurationem valde fuisse usitatam Gallicarum tempore legum, ad assecurationem futuri nauli et sperati lucri, certe ex contemtu exterarum legum, quae nostrorum principiis tam diu admissis adversabantur, nulla potest trahi conclusio ad vim melioribus istisque nostris legibus inferendam. Caeterum de tali vi contractu non promovenda mox adhuc dicemus.

Expurgata enim jam satis ab omni dubio videtur nostrae assecurationis substantia. Namque de periculo metuendo et de damni resarcitione non est quod hic dicamus, quum aperte ex clausula in conditione

(1) Eadem ratione communi usu recepta est assecuratio non carentis oneris (*foutvracht*), qua navem in portu destinationis onus exspectatum inventuram confirmatur, (BENECKE *tom.* 5. *p.* 32.) atque assecuratio, exonerationem non prohibitione impeditam iri, BENECKE *tom.* 5. *p.* 362.

contractûs esse appareant. Quatenus autem a communi assecuratione deflectant, id mox occurret. Nunc enim adhuc videndum est de pactorum adjectorum cum Lege convenientia.

Et jam statim igitur hic considerandum est pactum, quod assecuratio fiat *ab utraque parte sine restorno*. Si illud primo loco perpendamus, quatenus excludat restitutionem praemii, etiamsi nullum ineatur periculum, gravi hoc censurae expositum esse videtur. Omnis enim assecuratio natura sua requirit pericula, quibus objectum sit expositum, et, si in gratiam mercaturae sufficiat periculum, quod putativum dicunt, ubi tempore contractûs jam clades, inscio tamen assecurato, existat (1), non tamen absque ullo periculo contractus cogitari potest. Convenit igitur ejus naturae ut periculum comparetur conditioni, qua non existente assecuratio non contracta videatur. Sed tum quoque praemium erogatum ut indebitum repetendum esse, res ipsa desiderat (2). Pactum de non restituendo praemio cadere videtur in speciem sponsionis de non ineundo periculo, atque nimia fide e formula sponsionis esse translatum. Unicuique autem elucescit, illud pactum posse ab assecuratione salvae navigationis sejungi, absque ullo detrimento, quum revera provideat in casum, a quo assecuratio incipere non potest. Atque hoc non ita raro acci-

(1) Cf. PARDESSUS *No. 590.*, *Artt. 365*, *366. Cod. M. G.* et *Art. 598. C. M. N.*

(2) Cf. PÖHLS *§ 638.*, et auctores ab eo citati, et *Artt. 635.*, *281. C. M. N.*

dit, ejusque exemplum fuit in ipso casu pyroscaphae *Pylades*, in quo per modum cujusdam conditionis pactum erat, totam conventionem nullam fore, si iter non iniretur. Nova quoque Amstelodamensis formula illam clausulam de non restituendo praemio, ut jam vidimus, praetermisit, atque eo certe antiquiori praestare videtur.

Quod autem ad alterum *restorno*, cui assecuratores renunciant, ita ut numquam ab iis diminutio summae in Polizza nominatae fieri possit, vidimus hoc evadere in renunciationem omni ulteriori commodi probationi. Nova formula Amstelodamensis illud magis apertis verbis enunciat, ubi dicit *non alia probatione*, *praeter ipsam Polizzam*, *opus fore*.

Illud autem pactum in omni assecuratione admissum est. Nullas ejus substantiae partes laedit. De eo quidem a nonnullis dubitatum fuit, quos citat PÖHLS § 695. *p.* 723. *nota* 2., sed acutissime observat eos renunciationem commodi probationi cum assecuratione sine commodo inita confudisse. Remissione probationis assecurator solummodo declarat se tantam fidem habere ei, quod ispe ante initum contractum de commodo sit patefactum, ut nihil amplius desideret, atque uti in universo Jure inter rem ipsam atque ejus probationem distinguendum est, ita etiam hic probationum exigendarum facultati, ut Juri pro se introducto, assecurator potest renunciare. Neque enim haec renunciatio impediret, quo minus, ubi vere commodum non adfuerit, contractûs nullitatem arguere possit; sed tunc illi ipsi incumbit probatio

hujus accusationis, utpote verae exceptionis, sive jusjurandum assecurato deferendo, sive alio quocumque modo.

Amstelodamensis formulae additamentum, quo assecurator sese insuper referat ad omne id, quod assecuratus praeter ipsam Polizzam bona fide producere possit, sese nunc ipsum defendit.

Hoc itaque pactum est unum ex iis, de quibus Leges ipsae praeviderunt, posse ea inter partes conveniri, atque Polizzae inseri. vid. *Art.* 332. *in f. C. M. G.*, *Art.* 256. *N*°. 8. *C. M. N.*. Recte de talibus dixit PARDESSUS N°. 774.: »Les clauses sont abandonnées »à la liberté des conventions; elles doivent être exe»cutées dans la rigueur de leurs expressions, et toute »interprétation arbitraire doit être d'autant plus éloi»gnée, qu'il s'agit d'un contrat aléatoire, où la plus »legère modification pourroit changer la cause, qui »auroit déterminé la volonté des parties contrac»tantes."

An autem hisce pactis etiam annumerandum sit illud, ut *quod servetur non cedat assecuratori*, sed assecurato, quamvis in integrum restituto, relinquatur, magis dubium videtur. Illo enim, si propositum attingat, id agi, ut assecuratus lucretur, et hoc propositum manifeste declarari, nemo inficias ibit. Hoc autem ipsi assecurationis naturae, quippe ad resarciendum tantum damnum comparatae, directe adversatur. Si igitur, quod sentiam, dicere liceat, hoc pactum ut invalidum considerarem, utpote causam legi, quae naturam assecurationis definit, con-

trariam habens, cff. *Artt.* 1131, 1133. *C. C. G.*, et *Artt.* 1371, 1373. *C. C. N.*. Illud autem non potest vitiare totam Assecurationem, nam solummodo ejus effectus ultra contractûs naturam extendit, sed non eo ipso corrumpit illos, qui intra contractus terminos subsistunt. Manet igitur integra damni resarciendi obligatio, sed quae ab eo, quod servatum est, provenit pecunia assecuratori, totam summam, quae in assecurationem deducta est, solventi, prodesse debet, aut, si assecurato obvenerit, summam ipsi ab assecuratore solvendam diminuere. In plurimis certe casibus contractae assecurationis salvae navigationis servatio partis commodi vix cogitari potest, sed hoc ad quaestionem facti pertinet, in cujusque specie dirimendam. Arbitri maxime venerandi, uti jam observatum, ita quod servatum videbatur a summa assecurationis detrahi jusserunt in sententia Anni 1824.. In casu autem sententiae Anni 1837. visum fuit, impensarum nondum erogatarum non stricte rationem esse habendam. Nos autem agimus de Jure, ideoque adhaerendum putamus ei, quod ab illis Arbitris indicabatur, ipsum pactum Legis censuram non posse effugere.

Nova Amstelodamensis formula pactum hoc ita moderavit, ut effectum non sortiatur, si natura commodi ex aequitate postularet ejus temperationem. Vix tamen videtur a natura commodi pendere posse, utrum assecuratori, an assecurato id quod servatum est prodesse debeat, in diminutionem summae assecurationis, aut ultra eam. Ubi posterius absolute

assecurationis naturae adversetur, non crederem commodi distinctionem, quae quibusdam tamen casibus assecurato verum lucrum servatae partis addiceret, posse juri accommodari. Totum potius pactum de eo quod servatum erit ab assecurato lucrando deserendum mihi videretur, utpote minus considerate a sponsione, quae nudam partium voluntatem pro norma habet, translatum ad assecurationem certa natura gaudentem. Remoto namque toto hoc pacto, omnia remanent, quae ad nostrae assecurationis scopum attingendum requiruntur. Ille enim certe est, ut assecurator non teneatur de avariis, et assecuratus, casu existente, probationis ambagibus retineri non possit, et quoad totum spectatum commodum indemnis praestetur. Ad id autem sufficiunt pacta, quibus avariae excluduntur, periculi natura describitur, et ulteriori probationi commodi renunciatur, atque si, hisce salvis, assecuratio ad justam damni resarcitionem tendat, servatô, ubi adsit, deductô, nihil magis desiderari posse videtur.

De eo autem nullum potest esse dubium, quin liceat assecuratoris obligationem ad casum totius damni limitare, atque pericula, quibus navis impediatur destinatum portum attingere, in conditionem contractûs admittere. Sunt enim hae pactiones unice comparatae ad definiendum, quale sit damnum, atque quale periculum, quae assecurator suscipit. Idem etiam est dicendum de eo, quod contractum sit de casu, quo navigatio salva non existit, quoniam ea vitio ipsi navi proprio impeditur. Nam si ille clau-

sulae sensus attribuatur, ut illius periculi assecuratio conventa intelligatur, jam superiori capite § 4. vidimus, hoc licere. Sin autem, uti in nova formula Amstelodamensi, hoc periculum, invocando *Artt.* 249, 640. et 641. *C. M. N.*, excludatur, nihil est, quod obstet.

Restat igitur hoc unum, ut dicam de pacto, quo assecuratio nostra honoris fidei mandatur, ut ei standum sit, tametsi Lege ad eam non detur libertas; vel, ut nova Amstelodamensis formula habet, renunciatur Legibus contrariis aut eam prohibentibus, atque ideo lites relinquuntur arbitrio bonorum virorum, quorum judicio ut supremo standum sit.

Et certe nihil in Jure impedit, quo minus fides partium invocetur ad pacta conventa servanda, estque unicuique liberum, lites, quas exspectat, mandare judicio arbitrorum, ut bonorum virorum, atque praeclusa appellatione (1). Neque aliquid illiciti inesse videtur ei ipsi, ad quod antiquioris formulae verba restricta sunt, ut haec assecuratio effectum sortiatur, quamvis Legum Codice ad eam non detur libertas. Illud enim satis superque patuit, Legum Codicem non omnia objecta, neque omnia commoda aut pericula diserte nominare, de quibus assecuratio possit contrahi, ad quam adeo ille Codex palam det libertatem. Si autem mens antiquioris formulae se extendat ad ea, quae assecurationi inessent Le-

---

(1) Cff. *Artt. 620, 636, 646. C. N. de modo procedendi in Civilibus.*

gibus contraria, aut ab iis prohibita, aut, uti in nova formula Amstelodamensi, illud expresse pactum appareat, summâ cautelâ distinguendum videtur. Si enim, quae legibus sunt contraria, ex ipsa legis mente conventionem contrarii admittant, quum substantiam contractûs non laedant, nihil objiciendum erit. Si autem vere illam laedant, aut contineant, quae expressa Lege prohibeantur, eruntne illae tunc summi BYNKERSHOEKII verbis rejicienda? Haec autem dicebat Vir Amplissimus (1): »Laudo »mercatorem, qui fidem, etiam contra legem datam, »servat, sed et laudo etiam judicem, qui fraudes et »nequitias Mercatorum non fovet, et rescindit pac»tiones, quas Lex rescindi jubet. Judicis est leges »sequi, nec disputare an turpiter faciat assecurator, »qui fidem datam violat. Esto turpiter faciat, sed et »turpiter facit qui contra Leges paciscitur."

Certe si de judice quaereretur aut de ordinariis Arbitris, prorsus Judicum vice fungentibus, prima saltem pars hujus sententiae omni dubio careret. »Judicis enim est", (ut alio loco Supremi Senatus Praeses dicebat (2)), »Edicta Ordinum tueri, nec »pati, ut ea Mercatores, quaestus sui gratia, elu»dant, —— et nemo non intelligit, quam frustra »in ejusmodi caussis philosophemur de mercaturae »favore." Quodsi de eo olim dubitari potuerit, uti Senatus Supremi sententia, quam in Introductione

(1) *Quaest. Jur. Priv. Lib. 4. c. 5. p. 560.*
(2) *Quaest. Jur. Priv. L. 3. c. 16. p. 516.*

citavi, auctoritate tamen magis, quam ratione (1) indicat, hodie illud non est credendum, quum nuperrime *Art^us^* 254. *C. M. N.* statuerit: »*Renunciatio, in adeunda assecuratione aut durante ea facta illi, quod* »*secundum legem ad ejus substantiam requiritur, aut* »*expresse est prohibitum*, NULLA *est.*" Ita res expedita videtur. Et tamen ob aliam nostrae clausulae partem res aliam plane hic faciem habere videtur. Clausulâ enim, de qua agimus, ad judicandum constituuntur *boni viri*, quos Galli vocant AMIABLES COMPOSITEURS, bene a strictis sic dictis arbitris distinguendi. Illi, ut VOETIUS *ad tit. ff. de receptis N°.* 2. observat, eos *arbitratores* vocans, in Jure Romano nomine quidem ignoti, re ipsa tamen noti erant, quippe qui absque ulla Judicii forma *ex aequo et bono* lites componere suo consilio suaque auctoritate laborant, secundum *L.* 13. § 2. *ff. de recept.* et *Auth. si vero contigerit C. de judic.*, cff. etiam A. FABER, DAMHOUDER, et S. VAN LEEUWEN ab eo citati, qui eorum usum in patria nostra agnoscunt. Ex ipsa illa Authentica, *de amicabili compositione* loquente, Gallicum eorum nomen derivandum videtur. Eo ipso autem quod arbitri vocati sunt ut *amiables compositeurs*, eos non esse constrictos ad

---

(1) Consuetudinem enim legi contrariam rectissime BYNKERSHOEKIUS improbabat, atque tum temporis etiam ejusmodi renunciatio ordinationibus de assecuratione latis nulla declarabatur, uti *ord. Roterodamensi veteri* § *1.*, et *Nova* § *75.*, atque *Amstelodamensi* § *1.*, v. BYNKERSHOEK. *Quaest. Jur. Priv. p. 558.*

judicandum secundum regulas juris, ex *Art.* 1019. *C. de Pr. C.* abunde patet, et commentario Clarissimi CARRÉ optime confirmatur (1). Et hoc ipsum etiam in nostrum Codicem transiit (2), quum *Art*°. 636. *C. de modo proc. Civ.* dicatur arbitros judicium ferre debere secundum Regulas juris, nisi iis compromisso facultas data sit judicandi *ut boni viri secundum aequitatem.* Ita autem res sese habet. Nam Compromissum ita esse conscribendum, ut ipso contractu jam pactum est, manifestum est. Hîc autem tum antiquior formula *arbitrium bonorum virorum* invocat (3), tum etiam nova Amstelodamensis insuper addit, eos *secundum aequitatem* esse judicaturos. Diversi igitur sunt ab arbitris ordinariis, alioquin secundum Polizzae tenorem typis descriptum ad quaestiones de assecuratione obvenientes dirimendas nominandis, quamvis modus eos nominandi idem sit. Exstat igitur hac clausula casus singularis, in quo Lex ipsa permisit in judicando Legem negligere: »Ils peuvent dans ce cas," (dicebat MALLARMÉ, Tribunatûs orator, rationes exponens Legis,

(1) *Les Lois de la Procédure Civile tom. 6. p. 243. ad d. Art.*

(2) Vid. VAN DEN HONERT *Handboek p. 633., Not. 3.*

(3) In casu autem a Consultissimis SINDERAM et CUPERUS deciso hi ordinarii arbitri fuisse videntur. Ad talem casum etiam respicere censeo Consultissimum LIPMAN, cujus sagacissimae atque utilissimae observationes ad Codicem mercatorium, adjuvante Consultissimo J. W. TYDEMAN ab eo editum, demum post conscriptam jam hanc dissertationem prodierunt, et qui in introductione ad titulum *de assecuratione* p. 234, 235. tum nostram ejus contractus speciem memoravit, tum rigidam Art. 254. adplicationem sustinet.

quae ad nos transiit (1)), »mais dans ce cas seule»ment, tempérer la sévérité de la Loi, écouter »l'équité naturelle, que l'orateur Romain appelle *laxa»mentum Legis*, et prononcer, comme a dit un »ancien philosophe, *non prout Lex, sed prout huma»nitas aut misericordia impellit regere.*" Atque, ut ipse porro indicat, non multum detrimenti ex abusu tam magnae potestatis est verendum, quippe Arbitrorum judicia neque tertio cuidam opponi possent, neque juris auctoritate gauderent. Alterum *Art*°. 1022. *C. de Proc. Civ.* confirmabatur, alterum eo indicari videtur quod ipsa arbitrorum judicia non poterant Cassationi subjici, *Art.* 1028. *in f. ibid.*, neque adeo rigidis Legum jussis subjici. Et hoc ipsum etiam in novum nostrum Codicem transiit, ita ut neque partium voluntate mutari possit, *Art.* 640.. Adjecit Ampl. MALLARMÉ et aliud argumentum, quod tamen non alia quam oratoria vi gaudere videtur, exspectandum scilicet esse, ut Arbitri sentiant cum magno D'AGUESSAVIO, »aequitatem numquam Legi ipsi »contrariam esse posse, atque consistere in ejus voto »exsequendo." Bonorum enim virorum, aequitati studentium officium, ab ipsa Lege regularum juris observationi opponitur, atque sine earum ab aequitate discrepantia nullus certe bonorum virorum mentioni locus fuisset.

Ex hisce autem, quae exposui, sequi videtur, pro-

(1) *Motifs et Rapports du Code de Procéd. Civ. p. 366.* (Paris 1806). Eum excerpsit CARRÉ *d. l. p. 242.*, qui addit *p. 243.*: »Ils peuvent donc en ce cas, décider comme ils le trouvent »juste, d'après la seule impulsion de leur conscience."

vocationi ad judicium bonorum virorum illam vim esse tribuendam, ut hi etiam Legis prohibitiones negligere possint, atque adeo pacta legum prohibitione notata rata habere. Illud autem sine ullo dubio tantummodo exspectandum est circa illa pacta, quae, dum legis rigore opprimuntur, ipsa aequitate commendantur. Illud ipse scopus clausulae sibi vindicat. Ita, dum anterioribus Legibus, itemque Gallicis, assecuratio sperati lucri, aut futuri nauli, prohibebatur, certe potuerunt illae hujus clausulae aegide, ut consueverunt, tegi, assecuratione salvae navigationis adhibita. An autem aequitati consentaneum videretur, ubi iter non sit initum, ob pactum illud, »*sine restorno*," restitutionem praemii assecurato negare, vel ubi quid ex clade vere servatum appareat, id in lucrum assecurato addicere, vehementer dubitarem. Imo contrarium exspectarem, quum prioris iniquitas jam silentio novae Amstelodamensis formulae, atque posterioris illa tum ejus clausulae temperatione, tum judicio optimorum virorum notata sit.

Illud denique iis, quae disputavi, consentaneum est, non posse renunciationem ei, quod Lege prohibitum est, factam umquam a vero judice admitti; adeoque aut uno bonorum virorum arbitrio rem dirimendam, aut, si appellatio admitteretur, etiam hanc ad aliud aliorum *bonorum Virorum* arbitrium esse limitandam. Prius, uti vidimus, in formulis nunc usitatis, observatur, atque eo ipso Juris rigor illam temperationem recipit, quam ipsum Jus, judicium bonorum Virorum admittendo, comprobare videtur.

ADDENDA.

I.

De Heeren Meesters NICOLAAS SINDERAM en ANGELUS JACOBUS CUPERUS, beide practiserende Advocaten te Amsterdam, hebben de navolgende Arbitrale uitspraak gedaan.

Gezien bij ons ondergeteekenden Mr. NICOLAAS SINDERAM en ANGELUS JACOBUS CUPERUS, beide practiserende Advocaten te Amsterdam, als bij acte op den veertienden Februarij 1823. door LEL GERRIT LELS, gepatenteerd koopman wonende te Buiksloot, doch gekozen hebbende zijn domicilium ten kantore van E. S. NYKERK en ZN. te dezer stede woonachtig op de Raamgracht No. 5. ter eener, en door H. GILHUYS qq. zoo voor de zeerisico als voor de tweede zeerisico-societeit, door etc. — gepatenteerde Assuradeurs wonende binnen deze stad ter andere zijde, ter dezer stede geteekend, en tegen betaling van negen en vijftig Cents door den Ontvanger ABBEMA in dato dertien October achttienhonderd drie en twintig geregistreerd, verzocht en benoemd tot Arbiteren ten einde te zamen of in cas van differente gevoelens, met of door eenen super-arbiter, de tusschen partijen gerezene kwestien bij Arbitrale uitspraak te decideren,

Eerstelijk, dezelve acte van Compromis door partijen, in voege voorzeid, geteekend en geregistreerd, mitsgaders de acte van prolongatie van hetzelve Compromis, geteekend in dato negen Februarij 1824. en den Elfden daaraanvolgende door den Ontvanger ABBEMA tegen betaling van een en zestig Cents geregistreerd.

Ten tweede, de Polis van Assurantie *op het behouden varen* van het schip genoemd *SARA EN JOHANNA* gevoerd van EVERT SJOERDS, en zulks van Nerva en alle de circumjacentien van dien af tot Amsterdam toe, door de Compromittenten ter andere, ten behoeve van den Compromittent ter eenre zijde of die het anders in 't geheel of ten deele zoude mogen aangaan, den twaalfden September achttienhonderd een en twintig onderteekend, en tegen betaling van eene Gulden vijf en negentig Cents in dato 13. October 1823. door den Ontvanger ABBEMA geregistreerd.

Ten derde, translaat zeeprotest door den voornoemden schipper EVERT SJOERDS te Glückstad voor den Koninklijken Notaris J. G. H. TIEDEMAN in dato 25. November 1821. gedaan en gepasseerd, met deszelfs daarinliggend Hoogduitsch origineel, door den Ontvanger ABBEMA tegen betaling van negen en vijftig Cents in dato dertien October 1823. geviseerd en tegen betaling van negen en vijftig Cents ten zelfden dage geregistreerd.

Ten vierde, translaat beëedigde verklaring in dato negen en twintig December 1821. door de scheepsgezellen dienstdoende in het voornoemd schip te Glückstad afgelegd, en op het origineel volgens declaratoir van den Ontvanger FABRITIUS tegen betaling van negen en vijftig Cents op den 21. September 1822. geregistreerd.

Ten vijfde, de translaat acte van inspectie van het schip, door de daarbij gecommitteerde beëedigde Experten op den

eersten Junij 1822. ten overstaan van den Notaris J. G. H. TIEDEMAN en Getuigen te Glückstad gepasseerd, en het origineel daarvan in het Hoogduitsch tegen betaling van Drie Gulden en vijf en zeventig Centen alhier op den Dertienden October 1823. door den Ontvanger ABBEMA voor Zegel geviseerd en tegen betaling van Negen en vijftig Cents geregistreerd, waarvan ook op het translaat melding is gemaakt.

Ten zesde, onderhandsche acte door de gezamenlijke reeders en eigenaars van het schip de *SARA EN JOHANNA* op den Zevenden October achttienhonderd en acht, omtrent de opvolging in het boekhouderschap van hetzelve schip ten behoeve van de Compromittenten ter eenre geteekend, en den Vierden Februarij achttienhonderd vier en twintig door den Ontvanger ABBEMA tegen betaling van Een en zestig Cents geregistreerd.

Ten zevende, de onkostrekening van hetzelve schip te Glückstad in dato 22. Augustus 1822. alhier door den Ontvanger ABBEMA op den Vierden Februarij 1824. tegen betaling van Vier en zestig en een halve Cents voor Zegel geviseerd en tegen betaling van Een en zestig Cents geregistreerd.

En ten achtste, reglement van avarij Grosse en particulier gevallen op de lading en het schip *SARA EN JOHANNA* door E. S. NYKERK en ZOON in dato 13. November 1822. gedespacheerd en gecertificeerd, geregistreerd door den Ontvanger ABBEMA op den Vierden Februarij 1824. tegen betaling van Een en zestig Cents.

Gelet voorts op de Conclusien van de wederzijdsche partijen, tenderende die des Eisschers daartoe, dat de Verweerders bij onze uitspraak, in het eerste ressort, zouden worden gecondemneerd om aan den Eisscher tegen behoorlijke kwitantie te voldoen de Somma van Tienduizend Guldens, en alzoo de acht eerstgemelde Verweerders, ieder eene Somma

van Duizend Gulden en de vier laatstgemelde ieder eene Somma van Vijfhonderd Gulden, uitmakende de meergemelde verzekerde Somma van Tienduizend Gulden, en zulks met den Intrest van dien tegen Zes perCent in het Jaar a lite mota tot de volle en effectueele voldoening toe mitsgaders in de kosten op deze arbitrage te vallen, en eindelijk dat de Verweerders tot dit alles bij lijfsdwang zouden worden gecondemneerd, als ook, dat de in dezen te decerneren arbitrale uitspraak zoude worden verklaard te zijn executabel bij provisie, zonder cautie, niettegenstaande Appel; en die van de Verweerders daartoe, dat de Eisscher in zijnen Eisch zoude worden verklaard niet ontfankelijk, immers en in allen gevalle, dat dezelve aan hem zoude worden ontzegd met de kosten.

Gehoord de mondelinge voordracht van partijen.

Overwegende daarop:

Dat de Assurantie ten dezen in kwestie blijkens de Polis is geschied voor Tienduizend Gulden *op het behouden varen* van het hiervoren gemeld fluitschip *SARA EN JOHANNA* en dat niet alleen de geheele omschrijving dezer verzekering bij de Polis genoegzaam aanduidt, dat het bedoelde intrest in het Casco bestond, maar dat ook de Eisscher, die boekhouder van het schip is, dit intrest nader heeft verklaard te bestaan in negen en vijftig vier en zestigste parten van hetzelve, waarvoor hij in zijne qualiteit van boekhouder de voorschreven verzekering heeft gedaan.

Dat de Verweerders bij de gedachte Polis hebben aangenomen de schade te betalen *evenveel hoe en waardoor veroorzaakt, hetzij door het nemen, confiskeren, stranden, verbranden, afkeuren, of alle andere ongelukken die het behouden aankomen ter gedestineerde plaatse zouden kunnen of mogen beletten*, en dat het fluitschip in questie bij en

ten gevolge van eene te Glückstad door den Schipper verzochte en door den competenten magistraatspersoon geordonneerde Inspectie van neutrale deskundigen blijkt te zijn afgekeurd en voor wrak verkocht.

Dat, ofschoon ook deze inspectie wel later, dan behoorlijk, is gevraagd en genomen, het nogthans niet blijkt, dat de staat van het schip door het liggen in de haven van Glückstad is verergerd, en dat integendeel zoowel de scheepsverklaring als de acte van Inspectie ten volle bewijzen, dat de afkeuring enkel het gevolg is geweest van de zee-evenementen, die het op de *verzekerde reize* tot zijn binnenloopen in Glückstad heeft doorgestaan.

Dat niettemin bij iedere verzekering op behouden varen naar den aard der zaak al wat behouden vaart in mindering van de gevallene schade komen moet, en ieder zoodanig verzekerde, al zoude hij ook een meerder intrest bij het behouden varen hebben gehad, geacht moet worden zich alleenlijk tot de Somma toe, die hij op behouden varen heeft doen verzekeren, voor schade te hebben willen behoeden.

Dat er dienvolgende, dan eerst schade in deze soort van Assurantien kan worden gevorderd, wanneer en bij zooverre er minder dan de verzekerde Somma behouden heeft gevaren.

Dat niet alleen met dezen eigen aard van dit soort van verzekeringen naauwelijks is overeentebrengen *de gedane renunciatie bij de Polis van al hetgeen in cas van ongeluk mogt geborgen worden of teregt komen, waarvan de Verweerders nimmer zouden kunnen profiteren*, maar dat in allen gevalle wat hiervan ook zijn moge, de altoos meer of min aanzienlijke en berekenbare waarde van een afgekeurd schip, hetgeen daarenboven wegens zijne avarijen vergoeding ontvangt, niet gelijk staat met het meestal onbeduidend

toevallig geborgene of teregt gekomene van een verbrand, gestrand, of anders verongelukt schip, en dat gevolgelijk de voorgemelde renunciatie, noch naar den letter, waarin zij is bevat, noch naar de vermoedelijke intentie van partijen Contractanten op het geval van afkeuring van het schip toepasselijk kan worden gemaakt, *ja zelfs in dat geval de wettelijke Censuur van nulliteit niet zou kunnen ontgaan.*

Dat het nette provenu van het afgekeurd schip, bedragen hebbende volgens de onkostrekening en daarbij gevoegde rekening courant te Glückstad, Drie duizend acht honderd een en zeventig Rijksdaalders en acht en een halve Grosch, met de onkosten aldaar van het schip, de lading en den Kapitein te zamen, volgens dezelve rekening bedragen hebbende Drie duizend drie honderd vier en twintig Rijksdaalders en dertig en een halve Grosch, meer dan geheel is geabsorbeerd, zoodanig dat er zelfs aldaar nog meer is uitgegeven, dan van het voormelde provenu ontvangen, Honderd zes en veertig Rijksdaalders en twee en twintig Groschen, makende in Hollandsche Courant, de Rijksdaalder berekend à twee Gulden tien Cents, gelijk zulks in de opgemaakte avarij grosse is geschied, Drie honderd zeven Gulden en vijftig Cents.

Dat daarentegen de reederij van hare geimpendeerde kosten ten behoeve van schip en lading heeft terug ontvangen, eerstelijk in avarij Gros, van de lading, Twee duizend zes honderd zestien Guldens en vijf en negentig Cents, en van de halve vracht, die in deze als een op zich zelve staand belang moet worden beschouwd, Acht honderd negen en zestig Gulden en vijf en dertig Cents, en ten tweede in avarij particulier, van de lading Twee duizend vijf en vijftig Gulden en vijf en twintig Cents, te zamen bedragende Vijf duizend vijf honderd een en veertig Gulden en vijf en vijftig Cents, doch waarvan

moet worden afgetrokken de hiervoren gemelde te Glückstad meer uitgegeven dan van het schip ontvangen Honderd zes en veertig Rijksdaalders en twee en twintig Groschen of Hollands Courant Drie honderd zeven Gulden vijftig Cents, zoodanig dat hetgeen het schip behouden heeft gevaren volgens de processtukken, bedraagt Vijf duizend drie honderd twee en dertig Gulden vijf en tachtig Cents.

Dat eindelijk, gelijk hiervoren is gezegd, de verzekering in questie niet op het geheele schip, maar slechts op negen en vijftig vier en zestigste parten van hetzelve is gedaan, en dat alzoo de evengemelde Somma van Vijf duizend twee honderd drie en dertig Guldens en vijf en twintig Cents over gezegde negen en vijftig vier en zestigste parten niet meer bedraagt dan nagenoeg Vier duizend acht honderd vijf en twintig Gulden, zoodat er over de verzekerde Somma van Tien duizend Gulden behouden gevaren is Acht en veertig en een kwart perCent, en de schade daarentegen beloopt Een en vijftig en een kwart perCent.

Gezien Art. 334. en 350. van het Wetboek van Koophandel Art. 1964. en 1965. en Art. zes van het Burgerlijk Wetboek en Art. 131. en 439. van het Wetboek van Burgerlijke Regtspleging

Wij ondergeteekenden, vermogens de macht daartoe aan ons door Partijen verleend, regtdoende in het eerste Ressort, condemneren de Verweerders om aan den Eisscher tegen behoorlijke quitantie een ieder pro rato van de door hem geteekende en verzekerde Sommen te voldoen, Een en vijftig en drie kwart perCent voor gevallene schade op de verzekering ten dezen in questie, en alzoo de acht eerste Verweerders ieder de Somma van Vijf honderd zeventien Gulden en vijftig Cents, en de vier laatste Verweerders ieder de Somma van Twee honderd acht en vijftig Gulden en vijf en zeventig

Cents en zulks respectivelijk met de intressen van dien gerekend tegen zes perCent in 't Jaar, van den dag van het tekenen van het Compromis af (zijnde geweest den veertienden Februarij 1823.) tot de volle en effectueele voldoening toe.

Verklaren dit vonnis niet alleen bij lijfsdwang tegen de Verweerders maar ook bij Provisie, niettegenstaande appel te zijn executabel, edoch niet anders dan mits stellende cautie.

Ontzeggen aan den Eisscher zijnen verderen Eisch, en compenseren de kosten van dezen Arbitralen Processe.

Aldus gearbitreerd en uitgesproken in Amsterdam den veertienden Februarij 1824.

(Get.) N. SINDERAM.

» A. J. CUPERUS.

II.

Wij ondergeteekenden Mr. JEREMIAS CORNELIS FABER VAN RIEMSDYK, practiserend Advocaat bij het Hoog Geregtshof van 's Gravenhage, en wonende aldaar, — Mr. JOHANNES OP DEN HOOFF, lid van de Tweede Kamer der Staten-Generaal wonende te Amsterdam — en Mr. MARINUS WILLEM DE JONGE VAN CAMPENS-NIEUWLAND, Raadsheer in 't Hoog Geregtshof te 's Gravenhage, en lid van de Tweede Kamer der Staten-Generaal, wonende te 's Gravenhage.

Gezien de acte van Compromis geteekend te Rotterdam, te 's Gravenhage en te Amsterdam den 24. 26. November en finalijk den 5. December 1835., geregistreerd te Rotterdam den 10. December 1835. Deel 12. fo. 74. recto vak 7. door den Ontvanger DUTILH, die daarvoor ontvangen heeft met de opcenten Eene Gulden tien en een halve Cents, waarbij A. VAN HOBOKEN EN ZOONEN kooplieden en Reeders te Rotterdam, als representeerende Z. Exc. den Minister van Kolonien van Z. M. den Koning der Nederlanden als Toonder van de natemelden Polis van Assurantie, ter eenre, en J. KETELAAR, FRANS SMEER en ABRAM VAN RYCKEVORZEL H. Z. kooplieden te Rotterdam, als representeerende de Rotterdamsche Assurantie Compagnie, de Zee en Brand Assurantie Societeit

etc. — te Rotterdam, alle Assuradeuren en medeteekenaren der natemelden Polis, alsmede P. LANGENHUIZEN en P. KEER, Assuradeuren te Amsterdam, als representeerende de Zee Maatschappij etc. — alle Assuradeuren te Amsterdam en medeteekenaren der natemelden Polis, ter andere zijde, — tot uitmaking van het verschil tusschen hen gerezen over de al of niet gehoudenheid der teekenaren van de Polis van Assurantie op den 3, 2, 4. December 1834. te Rotterdam en te Amsterdam geteekend, en geregistreerd te Rotterdam den 16. September 1835. Deel 10. fo. 119. recto vak 6. door den Ontvanger VAN VOLLENHOVEN tegen betaling van Zeventien Gulden negen en dertig Cents *op het behouden varen* van het Stoomschip *PYLADES* gevoerd door Kapitein FRANS ANTON BUNNEMEYER, tot betaling van de Sommen waarvoor daarbij is verzekerd, en welk Verschil zij daarbij verklaren daarin te bestaan, dat de Geassureerde beweert, dat door het verongelukken van het gezegd Stoomschip Pylades zoodanig als hetzelve op den Tweeden Januarij 1835. heeft plaats gehad, en waardoor het behouden aankomen van gezegd Schip ter gedestineerde plaatse is belet, de teekenaars der gezegde Polis zijn gekomen in de verpligting tot oplegging aan den Toonder der Polis van de Sommen voor welke zij *het behouden varen* van voornoemd Stoomschip van Rotterdam tot Batavia hebben verzekerd, en zulks overeenkomstig de verbindtenis, zoo als die bij gezegde Polis is aangegaan, terwijl de Assuradeuren daarentegen beweren tot de gevraagde betaling ongehouden te zijn, aangezien er noch verbindend Contract, noch intrest, noch schade, waartegen Assuradeurs verzekerd hebben, bewezen wordt, — benoemd hebben de twee eerst Ondergeteekenden tot *goede mannen* ten einde gezegd verschil door hunne uitspraak te beslissen *in het hoogste ressort.*

Gezien de acte van prolongatie op den Zeventienden Maart 1837. door dezelfde partijen geteekend en op den 18. April 1837. geregistreerd Deel 12. f°. 197. recto vak 4. door den Ontvanger DUTILH tegen betaling van Acht en negentig en een halve Cents.

Gezien de nadere acte geteekend te Rotterdam en te Amsterdam in Junij 1837. en geregistreerd te Rotterdam den 3. Julij 1837. Deel 11. fol. 43. recto vak 2. en 3. door den Ontvanger VAN VOLLENHOVEN, tegen betaling van Acht en negentig en een halve Cents, waarbij dezelfde partijen benoemen den derden Ondergeteekenden tot *goeden man*, ten einde te zamen met de twee eerste Ondergeteekenden des noods bij meerderheid van stemmen in het hoogste ressort te beslissen het verschil bij voornoemde acte van Compromis omschreven en de termijn voor de uitspraak prolongeren tot 15. Julij 1837.

Gezien de bovengemelde Polis van Assurantie geteekend te Rotterdam en Amsterdam op den 3. en 4. December 1834., geregistreerd te Rotterdam den 16. September 1835. Deel 10. f°. 119. recto vak 6. door den Ontvanger VAN VOLLENHOVEN tegen betaling van Zeventien Guldens negen en dertig Cents.

Gezien het extract uit de minuten berustende ter Griffie van de Regtbank van Koophandel zitting houdende te Rotterdam, bevattende de scheepsverklaring door den Kapitein en de Equipagie van het Stoomschip *PYLADES* en verdere daar bij genoemde personen op den 5. Januarij voor den Regter, waarnemende de functien van den President van de Regtbank van Koophandel zitting houdende te Rotterdam geadsisteerd met den Griffier van dezelve Regtbank, afgelegd en met eede bevestigd, geregistreerd te Rotterdam den Zesden Januarij 1835. Deel 73. f°. 41. vak 4. door

den Ontvanger DE CLERMONT tegen betaling van Vijf Guldens twee en vijftig Cents.

Gezien het contract tusschen den Minister van Kolonien, als door Z. M. den Koning daartoe geauthoriseerd, en de Nederlandsche Stoomboot-Maatschappij gesloten te 's Gravenhage en Rotterdam den 7. en 10. December 1834. en geregistreerd te 's Gravenhage den 12. Februarij 1836. Deel 18. f°. 94. verso vak 2. door den Ontvanger KELLER tegen betaling van Eene Gulden tien en een halve Cents.

Het rapport van de Heeren E. B. VAN DEN BOSCH, en SOETERMEER in dato 's Gravenhage 20. December 1834. geregistreerd te Rotterdam den 2. Februarij, 1836. Deel 10. f°. 148. recto vak 4. door den Ontvanger (onleesbaar) tegen betaling van Eene Gulden tien en een halve Cents, en de missive van den Minister van Kolonien aan de Directie van de Nederlandsche Stoomboot-Maatschappij te Rotterdam dd. 24. December 1834., geregistreerd te 's Gravenhage den 4. Julij 1837. Deel 27. folio 42. vak 7. door den Ontvanger KELLER tegen betaling van Acht en negentig en een halve Cents.

Gelet op de wederzijdsche vorderingen en voordragten der partijen, strekkende die van den Eisscher, dat bij uitspraak in het hoogste ressort en executabel tegen de individueele teekenaars, zelfs bij lijfsdwang, de Verweerders zullen worden gecondemneerd, om tegen de afschrijving op de Polis aan den Eisscher te betalen de door hen geteekende Sommen met condemnatie van de Verweerders in de kosten, en die van de Verweerders, dat bij uitspraak van Arbiters de Eisscher zal worden verklaard niet ontfankelijk in zijnen op en jegens de Verweerders genomen Eisch en Conclusie, en subordinaat dat hem dezelve zal worden ontzegd, met condemnatie van den Eisscher in de kosten.

Overwegende, dat tusschen partijen is aangegaan een contract van assurantie, hetwelk, *ofschoon niet loopende over een onderwerp, dat hetzelve als verboden en onbestaanbaar kan doen beschouwen, echter buiten de Wet valt*, en dus meer bepaaldelijk moet afgeleid worden uit, en beoordeeld worden volgens de tusschen hen aangegane overeenkomst.

Overwegende, dat wanneer men de Polis raadpleegt, de Assurantie moet geacht worden voorwaardelijk te zijn geschied, maar dat die voorwaarde alleen heeft bestaan in het beding, dat de Pylades van wege het Gouvernement zoude goedgekeurd worden.

Overwegende, dat het wel is waar zijn geweest de Geassureerden die dit beding hebben voorgesteld, en daarvan de assurantie hebben afhankelijk gemaakt, even als ten hunnen aanzien het doorgaan van den koop door het Gouvernement en van de reis naar Java daarvan afhankelijk was, maar dat, wat daartoe de aanleiding ook moge geweest zijn, dit zeker is, dat die goedkeuring van wege het Gouvernement de voorwaarde van de assurantie geworden is.

Overwegende, dat het er ten dezen op aankomt, om daadzakelijk te onderzoeken, of er zoodanige goedkeuring van wege het Gouvernement heeft plaats gehad, doch dat daarbij niet in aanmerking kan komen, hoedanig het Gouvernement de overtuiging heeft verkregen, welke tot die goedkeuring geleid heeft.

Overwegende, dat bij de Polis wel is melding gemaakt van het moeten plaats hebben eener Inspectie, maar dat dit niet meer is dan eene vermelding voorkomende ter plaatse, alwaar de laatste tijdingen welke men van het schip heeft, gewonelijk ingevuld worden, en hier bepaaldelijk vermeld in betrekking tot het gereed liggen van den PYLADES, en

den tijd van deszelfs vertrek, maar geenszins als een uitdrukkelijk beding tusschen de partijen, en zoodanig dat de verbindtenis van de Assuradeurs van die inspectie en van deszelfs uitslag, en van de doelmatigheid of volledigheid derzelve, zoude kunnen geacht worden afhankelijk te zijn.

Overwegende, dat het dierhalve alleen van het Gouvernement afhing, om de waarde van dat rapport en de plaats gehad hebbende inspectie door de Heeren VAN DEN BOSCH en SOETERMEER te beoordeelen, maar de Assuradeurs onbevoegd zijn om in een onderzoek van die Inspectie en dat Rapport te treden en daarvan hunne verbindtenis afhankelijk te maken.

Overwegende, dat het aangaan van den Koop van de *PYLADES* van wege het Gouvernement door den Minister van Kolonien het duidelijk en onwederspreekbaar bewijs oplevert, dat dit Stoomvaartuig van wege het Gouvernement is goedgekeurd geworden.

Overwegende, dat indien men ook al de in de Polis van Assurantie voorkomende vermelding van eene te doene Inspectie als van meer kracht wilde beschouwen en in het onderzoek van de waarde en uitkomsten derzelve wilde en konde treden, dan nog dat rapport buiten twijffel van eenen goedkeurenden aard en strekking is, en zeer zeker geene afkeuring bevat, welke volgens de Polis tegen de goedkeuring overstaat.

Overwegende, dat dienvolgens hier de voorwaarde der overeenkomst vervuld, en die overeenkomst zelve dus allezins verbindende is geworden.

Overwegende, dat hier is aangegaan eene assurantie *op behouden varen* ten onderwerp hebbende *de op Batavia terug te ontvangen kosten van vervoer, en aldaar te ontvangen premie;* welke assurantie, *ofschoon geene weddingschap,* dewijl dezelve een bestaand voorwerp en belang tot onder-

werp heeft, hetgeen bij eene weddingschap het geval niet is, echter van eenen bijzonderen aard is, daar *dezelve noch het schip, noch de lading, maar een voorwerp en belang, buiten dit een en ander, ten onderwerp heeft.*

Overwegende, dat bij die assurantie blijkens de Polis bijzondere bepalingen gemaakt zijn, afwijkende van de gewone, welke gemaakt worden bij de assurantie op het Casco van het Schip, voor hoedanige assurantie de ten dezen gebruikte Polis bestemd was, omdat zoowel de aard der zaak als de gewoonte medebrengt, dat in zoodanig geval *de geschrevene bepalingen overal, waar dezelve van het gewone gedrukte formulier afwijken, eeniglijk moeten in aanmerking komen, en het gedrukte alleen in zoo verre moet gelden, als het geschrevene daaraan niet heeft gederogeerd.*

Overwegende, dat bij het geschrevene uitdrukkelijk voorkomt, de bepaling dat de Assuradeurs zullen vergoeden *de schade in alle gevallen, evenveel hoe en waardoor veroorzaakt*, en dat de assurantie ook bepaaldelijk geschied tegen *het verongelukken of alle andere rampen welke het behouden aankomen zouden kunnen of mogen beletten.*

Overwegende, dat aan deze van de gewone en gedrukte bepalingen afwijkende stipulatien, waarvan de eerste geheel buiten die gedrukte bepalingen loopt, en de laatste blijkbaar de gedrukte bepaling, dat de assurantie geschiedt tegen schade door zeefortuinen, vervangt, noodwendig eene bijzondere beteekenis en strekking moet worden toegekend, daar dezelve anders doelloos zouden zijn, en dat deze strekking en beteekenis geene andere kan zijn, dan dat die rampen in eenen ruimeren zin moeten worden opgevat, dan die, welke gewonelijk aan zeefortuinen gegeven wordt.

Overwegende, dat ofschoon dan ook de PYLADES niet ten gevolge van eenig bekend geworden zeefortuin moge geacht

worden vergaan te zijn, het zinken van dezelve echter als het gevolg van een onvoorzien toeval, waarvan de oorzaak onbekend gebleven is, bij de ruimere bepaling dezer Polis moet geacht worden eene ramp te zijn, die het behouden aankomen heeft belet, en dus een der gevallen heeft doen bestaan, waartegen de assurantie was aangegaan.

Overwegende, dat de Assuradeurs geen bewijs van eenig eigen gebrek of bederf van den Pylades bijbrengen, — dat zij zich bepalen tot het aanvoeren van eenige omstandigheden, waaruit zij zoodanig gebrek of bederf zouden willen afleiden, en dat, wanneer ook al die omstandigheden bewezen waren, nog niet zoude blijken dat daaraan het vergaan van het Schip zoude moeten worden toegeschreven.

Overwegende dierhalve, dat de schade, door het niet behouden varen van den Pylades veroorzaakt, door de Assuradeurs behoort gedragen en vergoed te worden.

Overwegende, wat betreft de hoegrootheid der vordering, dat het verzekerde intrest en het beloop daarvan duidelijk bij de Polis is opgegeven en ook aangetoond is te bestaan.

Overwegende, dat bij die Polis voorkomt de bepaling »*zonder restorno*" alsmede de bepaling, *dat de Assuradeurs renuntieren aan alle aanspraak, welke zij in geval van verongelukken op hetgeen van de verzekerde zaak zoude kunnen geborgen worden, zouden kunnen maken.*

Overwegende, dat deze bepalingen, welke bij eene zoodanige Assurantie als hier heeft plaats gehad, niet kunnen worden opgevat in eenen eigenlijken zin, daar het bergen van een gedeelte van het verzekerde, ingeval van verongelukken, ten aanzien van een verzekerd voorwerp, dat niet over zee gevoerd wordt, niet denkbaar is, — en dat dezelve, dus bij analogie moetende worden toegepast, niet anders kunnen beteekenen, dan dat de Assuradeurs zich

onderwerpen om de opgegevene som te betalen, al ware het ook dat door omstandigheden de aangewende transportkosten, die ten dezen het eenige wisselvallige voorwerp uitmaakten, iets minder mogten bedragen.

Overwegende, dat derhalve ook de geheele verzekerde Som door Assuradeuren behoort voldaan te worden.

Uitspraak doende in het hoogste ressort vermogens de macht ons daartoe door partijen gegeven:

Condemneren de Verweerders om tegen afschrijving op de Polis den 3. en 4. December 1834. op het behouden varen van het Stoomschip Pylades geteekend behoorlijk geregistreerd, aan den Eisscher te betalen de door hen geteekende Sommen en mitsdien de Rotterdamsche Assurantie-Compagnie Twee duizend Guldens etc. — Condemneren de Verweerders in de kosten, en verklaren deze uitspraak te zijn Executabel tegen de individueele teekenaars zelfs bij lijfsdwang.

Aldus gearbitreerd en beslist te 's Gravenhage den 8. Julij 1837..

(Geteekend) FABER VAN RIEMSDIJK.

» J. OP DEN HOOFF.

» M. W. DE JONGE VAN CAMPENS-NIEUWLAND.

THESES.



I.

Jure Romano transigere licet de controversiis in testamento ortis, etiam non inspectis testamenti tabulis.

II.

Lex I. § 3. ff. de min. non pugnat cum § 2. Inst. de curat..

III.

Jure Francico non plures possunt dari tutores.

IV.

Testamentum Jure Francico non potest revocari actu posteriori privato nihil praeter prioris testamenti revocationem continente.

V.

Ille qui ex Art. 319. C. P. condemnatus est ideo quod imprudenter aliquem occiderit, Jure nostro non habetur indignus.

VI.

Conductor cogi potest ad utendum re conducta, si non utendo rem conductam deteriorem reddit, vel eo ipso rei pretium diminuitur.

VII.

Verba, *tegen behoorlijke schadeloosstelling*, Art. 164. Legis Fundamentalis, significant, solutionem indemnitatis praecedere debere bonorum occupationem.

VIII.

Laudandus est Legislator noster, quod rursus introduxit Veniam Aetatis Jure Francico incognitam.

AAN

MIJNEN VRIEND

J. SIEWERTSZ VAN REESEMA,

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT

DOCTOR IN DE BEIDE REGTEN.



Het is voor U, mijn dierbre Vriend,
Die zich bekroonen ziet,
Dat rein gevoel de snaren spant; —
Geen zucht naar roem misleidt mijn hand,
Nu ze U mijn feestgroet biedt.

—

Mijn zang, misdeeld van tooi en zwier,
Is kunstloos, zonder schoon:
Maar, waar 't gevoel den toon kan slaan,
Is 't hart reeds door zich zelf voldaan,
En vraagt geen ander loon.

In 't achtbaar koor der wetenschap,
Werd, uwe vlijt ten loon,
De lang gewenschte zegekrans,
Aan U, in onverdoofbre glans,
Door Themis aangeboon.

Vaar voort, mijn Vriend, op 't zelfde spoor,
Dat U ter eere leidt;
En, schoon MINERVA's zoon niet meer,
Blijv' gij toch steeds, gelijk weleer,
Aan HAREN dienst gewijd:

Dan, 't zij de wereld dank U biedt,
En uw vereerdster schijn,
Of U, helaas! met ondank loon,
En zich uw deugd vijandig toon,
ZIJ zal uw gidse zijn;

—

En, schoon gij Leydens vest verlaat,
Geen van uw vriendental,
Die meer dan ik uw heil op aard,
En alles, wat u vreugde baart,
Opregter wenschen zal.

Ja, dierbaar blijft m' uw broedertrouw,
Gij hebt dat loon verdiend;
Steeds waren wij door vriendschap één,
Steeds broeders, hart en lot gemeen, —
Heb dank daarvoor, mijn Vriend!

Herdenk vaak d'Academiestad,
Schoon Leydens school ontrukt,
Waar gij, na welbesteden tijd,
De wetenschappen toegewijd,
Den eerpalm hebt geplukt.

En nu, het uur van scheiden slaat,
U roept de maatschappij;
Bij 't einde van uw studiebaan
Wijst z' U een nieuwe werkkring aan, —
Dat die gezegend zij!

J. LE FÈVRE DE MONTIGNY,
J. R. Cand.

CORRIGENDA.

P. 3.	lin. 24.	*pro*	uti hoc	*leg.*	ubi hoc
» 7.	» 4.	»	videntur	»	videtur
» 9.	in nota (1)				
	lin. 8.	*pro*	spruitende uit de te Batavia terug te ontvangen premie,	»	spruitende uit de te Batavia terug te ontvangen kosten van vervoer, en aldaar te ontvangen premie,
» 34.	lin. 18.	*pro*	rependeat	*leg.*	dependeat
» 37.	» 20.	»	ispe	»	ipsi
» 43.	» 11.	»	strictis	»	stricte

Caeteris venia petitur.





